EQVITIS
ET ANIMI ET INGENII VIRIBVS
PRAESTANTISSIMI
VLRICHI DE HVTTEN
AD
B. PIRCKHEYMER PATR. NORIMB.
EPISTOLA

QVA ET
VITAE SVAE RATIONEM
ET TEMPORVM IN QVAE
AETAS IPSIVS INCIDIT
CONDITIONEM
LVCVLENTER DESCRIPSIT.
IN LVCEM DENVO PROTVLIT ET
COMMENTARIVM
QVO
ILLVSTRIS HVIVS EQVITIS
FATA ET MERITA
EXPONVNTVR, SVBIECIT

IACOBVS BVRCKHARD,
ILL. GYMN. HILDBVRGH. P. P.

PROSTAT WOLFENBVTTELI,
APVD GODEFRIDVM FREYTAG
EXSCR. HILDB. TYPIS PENZOLDI.
CIƆ IƆ CC XVII.



VIRO

PERILLVSTRI

ATQVE EXCELLENTISSIMO

D. VRBANO DIETERICO DE LVEDECKE,

POTENTISSIMI REGIS PORVSSIAE

ET

SERENISSIMI BRVNSVIC. AC LVNEB. DVCIS

CONSILIARIO INTIMO,

ET ECCLESIASTICI ET AVLICI

IN BRVNSVICENSI DVCATV

SENATVS


PRAESIDI GRAVISSIMO,

DOMINO HEREDITARIO IN SICKTEN,

MAECENATI SVMMO,

S. P. D.

IACOBVS BVRCKHARD.



VIR PERILLVSTRIS
ATQVE EXCELLENTISSIME,



COgitanti mihi, multos, ſi exiguum hunc in ſcholaſtica vmbra confectum libellum Illuſtri Nomini TVO dedicatum irem, apertæ inſimulaturos me fore audaciæ, dubitationem, an id conandum nihilo

mi-

minus esset, animo meo iniectam initio esse, fateor. quando vero illis tantummodo, qui procul, atque ex solis amplissimarum dignitatum titulis, quibus merito TVO fulges, de TE iudicauerint, audaciæ nomine suspectum me futurum, denique reputavi; diutius hæsitandum non censui. Nam illos, quibus contingit, vt eximias virtutes TVAS præsentes admirentur,

non ita inſolenter fa-ctum putaturos, arbi-tror, vt ſummo Mæce-nati a deuotiſſimo ipſi ſtudiorum cultore, te-nue licet, nuncupetur opuſculum. Ego vero non perſpectum ſolum habeo, quanto fauore litteris deditos comple-cti conſueueris, ſed ipſe etiam hunc coram ſum expertus: quandoqui-dem per bene multos annos haud obſcura ſin-gularis plane erga Fra-

tres

tres meos beneuolentiæ dedisti signa. pro qua patieris, spero, publicum summæ in TE meæ pietatis exstare testimonium. Quum praeterea me non fugiat, quantum in omne doctrinarum genus præ TE feras amorem; ita, vt, quotiescunque a grauissimis occupationibus vacatio TIBI obtingat, præstantissimos veterum scriptorum, Senecam cum primis, nec

minus omnis generis temporum, hominum, locorum, rerumque gestarum monimenta summa cum voluptate abs TE euolui, exploratum habeam: non exigua adeo spes me tenet, qualemcunque meam operam in Vlrichi de Hutten, egregii Equitis Germani, Fata ac Merita exponenda collatam, abs TE improbatum non iri: præsertim, quum is fuerit Eques hic, qui
pro

pro Germaniæ Libertate, pro Litterarum decore, pro Religionis integritate tam acriter ducentis abhinc annis propugnarit, vt nemo vmquam acrius. cuius memoriam dignam idcirco censebis, puto, quæ perpetuo diligenterque a gratis posteris colatur. Vale, VIR PERILLVSTRIS, libellum hunc, gratum debitæ obseruantiæ testem, benigne accipe, mihique fauere

perſeuera. Scripſi Hildburghuſæ, exeunte anno CIↃ IↃ CC XVI: vt is, quem, paucis oppido interiectis diebus, feliciter, bene adiuuante Deo, ingrediemur, pariter & complures inſequentes TIBI & cunctæ Illuſtri Familiæ TVAE longe auſpicatiſſimi ſint, cum omnibus bonis, qui, quantum ex incolumitate TVA pendeat, non ignorant, precatus.



AD
CANDIDVM LECTOREM
PRAEFATIO.

EGregia *beati* LVTHERI, fidelissimorumque eius in salutari atque necessario maxime *Reformationis* negotio *sociorum merita* instans, celebrandum ab Ecclesia nostra, *Iubilaeum* in memoriam reuocat. impium enim foret, tanti beneficii tali tempore non recordari; & egregie cordatorum hominum memoriam obscurare silentiove sepelire, nefarium prorsus videri posset. Nec vero meritas eo nomine immortali Deo gratias persoluere quisquam poterit, nisi temporis, in quod tam praeclare de omni posteritate promeriti Lutheri aetas incidit, naturam, maximam

ximam, qua Ecclesia conflictabatur tum, calamitatem, ac discriminis, quod Lutherus & fortissimi eius adiutores, ipsius Ecclesiæ huius a tyrannide vindicandæ caussa subierunt, magnitudinem, reputarit. *VLRICHVM DE HVTTEN Equ. Fr.* illorum numero exstitisse, qui Luthero longe difficillimis temporibus fideliter præsto fuerint, nemo inficias iuerit (a). qui ipse, prius etiam, quam Lutherus impudentissime ac impie adnuntiatas Germaniæ *Indulgentias* impugnare cœpit, in *bonarum litterarum doctrinæque studiis*, quorum fulgor, velut prævius auroræ Lucifer, coruscum Euangelii Solem antegressus erat, ab immani barbariæ pertinaciter adhuc obluctanti in Germania vindicandis, in *Patriæ* præterea *libertate* contra Pontificum Romanorum impetum aliorumque iniurias defendenda, omnem

(a) quamuis personatus *Clarmundus*, illum *acerrimum Lutheri inimicum* fuisse, statuerit, in Vita *Erasmi* pag. 9.

mnem operam, curam, induſtriam ac cogitationem fixerat. Sanctiſſime idcircò Equitis huius memoriam me dudum coluiſſe, profiteor: qui diuini ingenii eius monimenta ſeduſo conquiſiui, mirifice ſemper lectione horum delectatus: adeo, & felicem plane ſuperiore anno me putaverim, quum varia Hutteniana ſcripta, quæ nondum habueram, ex celeberrimi *Perizonii*, cui Viro poſt funera etiam multum debeo, exquiſitiſſima bibliotheca mihi obtigiſſent. Inter hæc longior atque luculenta iſta *Epiſtola* fuit, qua ſplendidiſſimus hic Eques *Bilib. Pirckheimero, Patricio Norimb. Vitæ ſuæ rationem* perſcripſit. Simul accepi eam, ſtatim vna cum qualicunque meo *de tanti Viri Fatis ac Meritis Commentario* foras denuo dare ſollemni ita tempore conſtitui. quamquam non ignoraueram, eam XCII annis poſt, quam primum ab ipſo auctore edita fuerat, atque ita, CVI abhinc

hinc annis iterum prodiisse (b). Singulari etiam in ipso hoc Commentario conscribendo fortuna vsus adhuc esse mihi videor. quandoquidem *Wolfenbuttelensis vere Augusta Bibliotheca* eximia subministrauit mihi subsidia; optimis *Fratribus* meis, qui præsentes tanto bono fruuntur, pro fraterno suo in me amore quam libentissime ea absenti mihi suppeditantibus. Erunt quidem forsitan, qui pro censendi aliorumque labores & inimico & maledico dente carpendi libidine, qua mercenarii cum primis librorum censores, quorum multitudine, ceu mole quadam, Respublica litteraria in præsenti laborat, sensum titillant suum, vsque ad aures meas obgannierint: Actum agis, scriptor, labore hoc supersedere facile potuisses, orbis saltem litteratus eo potuisset indige-

(b) *Francofurti* an. 1610, in 4. Libro videlicet inserta est; qui inscribitur: *Discursus epistolares Politico-Theologici de Statu Respubl. Christianæ degenerantis: tum de reformandis moribus & abusibus Ecclesiæ &c.*

gere: siquidem dudum ab *Henr. Pantaleone* (c), *Theod. Beza* (d), *Iano Iac. Boissardo* (e), *Nic. Reusnero* (f), *Io. Petro Lotichio* (ff), *Melch. Adamo* (g), *Paulo Frehero* (h), & non ita pridem ab *Anonymo* quodam patrio sermone (i) conscripta est *Vlr. de Hutten vita*: quam ex cl. *Balii* praeterea *Dictionario* ac ceteris *Lexicis Historicis* sic cognoscere licet, vt abs te confecta desiderata amplius non sit; & vt Iliadem post Homerum scribere aggressus videaris. At penes te iudicium sit, candide Lector, vtrum singuli hi aucto-

(c) de *Viris illustrib. Germ.* Part. III, pag. 65.

(d) in *Iconibus Viror. doctrina & pietate illustr.*

(e) *Icon. Viror. illustr.* P. II pag. 33. qui tamen nihil fere habet, nisi *scriptorum Hutteni enumerationem*, qualem ex *Conr. Gesneri Bibliotheca*, per *Simlerum* & *Frisium* aucta, sumpsit.

(f) *Imagin. Virorum litteris illustr.*

(ff) *Bibliothecae Poeticae* P. III, pag. 18.

(g) *Vit. Iureconsf.* p. 13.

(h) in *Theatro Viror. eruditione claror.* Part. II, Sect. IV, p. 806, ita, vt eam ex Adamo mutuatus est.

(i) in *auserlesener Anmerckungen über allerhand wichtige Materien und Schrifften* III Theil. 5 Anmerck. p. 86.

res messem, an spicilegium reliquerint post ipsos de Vita Equitis commentaturis. Mitius quidam de censoribus istis agere mecum sibi videbuntur, si de hoc etiam Opusculo meo censuerint, procliue admodum fuisse, eiusmodi Commentarium, vel farraginem potius, compilare. hi primum sciant velim, non omnes tales labores, quibus ferendis ipsi pares sese sentiant, suscipere valere: deinde gratum me quibusdam, præsertim iis, quibus, vt publicis, iisque instructissimis, bibliothecis inuoluere se queant, non contingit, facturum putaui, si ipsa Hutteni verba, integras etiam epistolas ac præfationes adferrem: quo facilius de ingenii eius excellentia animique altitudine iudicare possent. sic denique habeant istiusmodi censores, me cum iis sentire, qui non vident (k), *cur tanta curio-*

(k) non vidit, præter complures alios, clarissimus *Clericus;* quippe cuius verba ista sunt, ex præfatione, quam *Erasmi Epistolis Lugduni in Batauis* an. 1706 editis, præmisit, transcripta.

riositate Poetæ, Rhetores, Theologi cuiusvis antiqui vitam rimemur, vt vel minimas eius circumstantias diligentissime adnotemus, iisque erutis plane triumphemus; ad vitas vero præstantissimorum virorum, qui Patrum aut Auorum nostrorum æuo vixerunt, egregiamque operam Reipublicæ Litterariæ aut Ecclesiasticæ nauarunt, nauseemus. Huttenum præclaram *Ecclesiæ, Reipublicæ* ac *Litterato orbi* operam nauasse, ne ipsa quidem inuidia negauerit. talem virum is se præstitit, vt, quod ipse de se prædicavit (l), nemo plane in Germania litteris clarus exstiterit, quocum non artissima ipsi intercesserit amicitia; vt a *Maximiliano* Imp. ab summis Principibus, ab omnibus ingenio ac eruditione illustribus viris amatus sit; adeo quidem, vt nonnulli horum *fictile vas, in quo tantus tanti animi thesaurus reconditus esset,* coram conspiciendi cupidissimi fuerint; licet optimam eius partem in *ingenii* eius *monimentis* ap-

(l) in Orat. III contra Wirtemb. D.

parere confeſſi ſimul ſint (ll). Ex his nobis etiam, CC fere interpoſitis annis, inſignem Viri eruditionem, ac fortiſſimum & ab omni metu liberum animum, ſuſpicere hodieque licitum eſt. Quo vero excellentiora diuinæ prorſus indolis ſuæ, poſteritati tradidit Huttenus ſpecimina, eo vehementius dolendum eſt, *meliore ingenio animoque, quam fortuna ipſum vſum eſſe;* medio in ſpatio florentis ætatis ereptum, quamquam, quod ad gloriam attinet, longiſſimum omnino æuum is peregit. Quod ſi ætas eius corroborata magis fuiſſet, dubitandum non eſt, quin annorum acceſſio *ingenii laſciuiam*, quam Eraſmus & alii in eo non tam reprehenderunt, quam admirati ſunt, correxiſſet; quin ratio ac ætas *acerrimum* iſtum *ardorem animi*, *nimiam*que, qualis iſta nonnullis hodie videbitur, *gloriæ cupiditatem*, mitigauiſſet. nam omnium

(ll) confeſſus eſt *Andreas Francus Camiczianus*, in epiſtola ad *Bilib. Pirckheimer* ſ.r. ep. CII, Op. pag. 33.

omni tempore præſtantiſſima illa extiterunt ingenia, in quibus dies atque ætas inuenerunt, quod potuerunt mitificare. Neque vero *oris* ac *vultus habitum* noſcere quodammodo poſteris non licet ex *imagine*, quæ iis tradita eſt; & quam libello huic præfigendam curaui. *quidni* enim, vt *Senecæ* verbis vtar, *tanti viri imaginem nos habeamus, animi incitamentum?* Quod ſi ſtudium meum in Commentario hoc conficiendo collocatum non repudiaueris, beneuole Lector, curabo, volente Deo, vt promiſſa, quæ extremo iſto feci, quamprimum præſtem. quæ repetere heic nihil attinet. cognoſces videlicet ibi, *extremum*, idque *turbulentiſſimum*, quod Hutteno contigit, *vitæ ſpatium*, quod ἰλιὰς *malorum* vere appellari poteſt, deſcribendum reſtare. Habebis tum & alteram eius *effigiem*, quæ ipſum *loricatum* & *laurea coronatum* repræſentat. talem, qualem in præſenti vides, ſuis contra *Vlricum*

Wirtemb. Ducem Orationibus ſubiiciendam curauerat Huttenus. Quod reliquum eſt, maiorem in modum abs te contendo, Lector, vt, ſi errores a me commiſſos obſeruaris; & talia, quæ ad tanti Equitis, ſummi atque æterni omnis Germaniæ ornamenti, Fata ac Merita vsque ad annum CIↃ IↃ XX illuſtranda pertinebunt, prætermiſſa a me cognoueris, amice me moneas; ſingularem gratiam me habiturum tibi, ſpondeo: etenim ne ipſe quidem dubito, quin & a me non exiguum in tam vbere meſſe relictum ſit ſpicilegium. ea re priorem hanc Commentarii Partem præmittendam decreui, vt ab eruditis monitus atque edoctus, ipſe cum altera Parte prioris ſupplementa edere poſſem. Vale itaque, candide Lector, faue, mone, edoce: gratum ſenties animum: invidorum ex aduerſo hominum morſus contemnere me, videbis; vtpote qui *contemnere* cum ipſo Hutteno *omnium optimum* duco *Apologiæ genus*.

PAVCA

PAVCA EX QVAM PLVRIMIS
CLARISSIMORVM VIRORVM
DE VLRICHI HVTTENI
VIRTVTE ATQVE ERVDITIONE
IVDICIA ATQVE TESTIMONIA.

Erasmus in Ep. ad *Albertum Arch. Mog.*

Huttenum habes domi, linguæ Latinæ delicium.

Idem in *Ciceroniano* p. 379.

Sat splendoris & copiæ præstat Huttenus in oratione soluta; in carmine felicior erat: ceterum a Ciceronis imagine procul aberat.

Io. Sleidanus de *Statu Religionis & Reip. Comment.* lib. IV, p. 53, b.

Inter alios Germaniæ viros doctos, qui Luthero plurimum fauebant, erat Vlrichus Huttenus Francus, nobili genere natus: - - Exstant quædam eius opuscula, quæ magnam ingenii libertatem & acrimoniam ostendunt.

Ph. Melanchthon T. I *Declam.* p. 735.

Habuit recentior ætas Poetam summo ingenio Huttenum, qui nisi immatura morte exstinctus esset, ad scribendi facultatem plus eruditionis & iudicii adhibiturus erat. Sed quanta in eo vis ingenii & naturæ vbertas fuerit, ostendunt, & in inueniendo acumen, & in explicando verborum splendor & copia.

Ioach. Camerarius in *Vita Ph. Melanchthonis*, p. 17.

Vlrichus gente Huttenus, patria Francus, ordine

dine eques, ingenio acerrimo & animo confidentissimo, litteris perquam eruditus, & litigantes monachos cum Capnione varie exagitauit - - -

Id. in ead. *Vita* p. 93.


- - fuit nobilitate & laude generis antiqui inprimis clarus, doctrina erudita princeps, impatientissimus iniuriarum, libertatis immodicæ cupidus, non prorsus alienus a sæuitia, quæ etiam vultus acerbitate & minus clemente interdum oratione indicabatur. Sed neque opum abundantia neque corporis, in quo admodum pusillo atque debili inerat animus ingens ac ferox, viribus pollens - - . si consilia & conatus Hutteni non defecissent, quasi nerui copiarum atque potentiæ, iam tum mutatio omnium rerum exstitisset, & quasi orbis status publici fuisset conuersus.

Conr. Rittershusius *in Commentar.* de *Vita Bil. Pirckheimeri*, p. 33.

Vlrichus Huttenus, Francus, pro mirifica magnitudine ingenii acerrime se corruptelis, quas in præcipuis vitæ ordinibus notauerat, opposuit; verum ad ætatem non magnam peruenit.

Iac. Aug. Thuanus lib. XIII *Hist.* ad an. 1554.

Vlricus Huttenus, Eques Francus: cuius elegantes admodum Dialogi nec Luciani acumini cedentes, ex immaturo docti æque ac strenui viri obitu, quasi paruæ tabulæ ex magno naufragio, supersunt & hodie mira cum suauitate ab æquis talium rerum æstimatoribus leguntur. VL-



VLRICHI DE HVTTEN EQVITIS AD BILIBALDVM PIRCKHEYMER PATRICIVM NORIMBERG. EPISTOLA VITAE SVAE RATIONEM EXPONENS.

VLRICHVS DE HVTTEN
BILIBALDO PIRCKHEYMER
Salutem.



Dhuc omnia mihi tecum conueniunt, Bilibalde, necdum iudicii me mei piget, quo te virum ſtatui apertum, ſincerum & liberum. Ita de

Aula mea ſententiam tuliſti ingenue, & nihil diſſimulanter. Sed tu age, qui in hoc *dialogo immaturitatem nauſeas*, vt quem ego, *vixdum a limine ſalutata* (vt tu dicis) *aula*, *de Aulicis compoſuerim*; cur non itidem ſinis ob id me in aula matureſcere, ſed ab ipſo ita ingreſſu tranſuerſum rapis? Aut ſimile tibi quiddam videtur in me, quod olim *Socrati*, qui *Glauconem*, Platonis puto fratrem, conſpicatus, rudiorem, quam vt obeundis negotiis aptum cenſeret, ad Remp. accedentem, propoſito inde retraxit, *Charmidem* vero ad capeſſendam vltro hortatus eſt, idoneum exiſtimans? Tale tibi in me aliquid viſum eſt, & Socratem imitaris? Sic eſt. Ineptum cenſes ad aulica, & amici ſtudio præuenire vis multa, quæ me hic manent incommoda: & recte forſitan mones. Quare tibi gratiam habeo, ὀρθή μοι γάρ ἡ συμβολὴ δοκεῖ εἶναι. Experior tamen eam, quam aliis ipſe fugiendam ſcribo, aulam.

Quid

Quid faciam aliud enim, quum faciendum ſit omnino aliquid? Nam quod in *vmbram* me tam cito, & ad *ſedentarium* illud *ſtudium* vocas; neſcio an naturæ ibi meæ rationem habeas, aut ætatem an reſpicias, quæ illam non capit quietem. An ego poſſem hoc ætatis intra quatuor parietes latere, & priuſquam expertus eſſem iſtas mundi turbas, iſtos olfeciſſem tumultus, in hos me ſeceſſus, hoc tranquillum recondere? & cognatis vellem ac amicis eam, quam & illi exigunt, & ego commodare operam poſſum, ſuffurari, ac mihi, vel vt tu mones, *mihi & Muſis viuere?* Vbi, vt tibi obſequar, & in illam me penitus *ſcholaſticam quietem ſepeliam*, totumque ſtudiis mancipem, & *ſcribendis libris*, ad quod neſcio quomodo aptus tibi videor, animum adiiciam: quid, quæſo, habebo, quod aliquando cum illis ſtudiorum meorum conuictoribus, animum quoties

remittere iuuabit, iucunde conferam? quas fabulas, quibus de rebus, tam nihil expertus miſcebo? Nam illa *duodecim annorum peregrinatione*, (in qua multa vidi, multa cognoui, nihil egi, nihil geſſi,) nondum mihi ſatisfeci; & *ſupereſſe puto, vt viuere incipiam:* quoddam fuit hoc enim *vitæ proludium*, καί τι ταύτης τῆς τραγῳδίας προγύμνασμα. niſi me in *ſolitudinem* abſtrudis, atque ab hominum conſortio relegas, aut non magni illam facis magni Herois in aduerſa fortuna commonitionem, *olim meminiſſe iuuabit*. Porro naturam meam haud noſti, ab hominum conuerſatione ſi me ſeorſum degere poſſe arbitraris; hominem, ita bonarum diſciplinarum ſtudiis aptum, vt a nulla interim honeſtæ conſuetudinis frequentia aut ſodalitiis, etiam a diſſimilium aliquantum conuentibus abhorream. Et ſi me recte vis noſſe, multo facilius hos fero ſtrepitus, hanc alienam frequentiam, in qua maximam

mam mihi nonnumquam ſolitudinem facio, quam ſolus eſſe poſſum: igitur non omnino infeliciter hæc coniunctorum me arbitror, & vt conſcius mihi ſum, *aliquid* iam *in litteris*, quantulumcunque id eſt, commeruiſſe, ita nullam etiam *in magnis rebus gloriam* deſpero. ac libenter *obeundis negotiis* vtendum me præbeo: quamquam nihil minus proponam, quam *dulciſſimis* interea *ſtudiis* μακρὰ χαίρειν dicere, quæ me, donec mens ſana erit, non ad tempus, ſed perpetuo, ac iugiter vel in mediis iſtis tumultibus exercebunt. Qua in re multum decepti ſunt illi mei per Germaniam amici, qui poſtquam ſemel in *aulicam ſeruitutem* conſenſi, deſiiſſe ſtudioſum eſſe, putauerunt. quo fit, vt, qui in Italia iampridem agenti mihi, litterarum adeo faſces mittere ſolebant, ac frequentiſſime ſolebant, hi in tantum nunc conticuerint, vt nemo aliquando tria verba ſcribat Hutteno,

homini (puto dicere eos) *non ſuæ amplius farinæ.* Cuius tamen, ſi tam ipſi memores aliquando eſſent, quam ego vniuſcuiuſque talium numquam obliuiſcor, iam illud feruide nobis intercederet *ſcribendi vltro citroque ſtudium;* quo nihil habeo, quod antiquius ducam, aut quo magis me oblectem. Vbi nondum defuiſti tu mihi. quem idcirco valde probo, & valdius adhuc meo iure amo, ac HERMANNVM NOVAQVILAREM COMITEM adoro, quia mihi numquam non copioſiſſime ſcribit. illis vero *ſuſpicioſis amiculis,* quandoquidem hunc in me faſtum cadere arbitrati ſunt, iraſcor, vt ſuperbis, vt faſtu ipſis turgentibus, & rem noſtris indigniſſimam ſtudiis admittentibus. Ac ſi *amare ſtudia,* id vero eſt ſtudioſum eſſe, nemini hoc per Germaniam nomine cedo: quandoquidem in magnis hoc difficultatibus facio. cuius vel hoc fuerit argumentum, quod illam adhuc *Capnio-*

nis

nis caussam mordicus teneo: qua de in litteris tuis mentionem facis, *Theologistas auxisse, nescio quas, suas aduersum nos Lamentationes*, scribens. Quæ illorum *importunitas*, haud dum scio, secure magis contemnenda sit, quam indignanter exagitanda ac punienda, in immensum quia excrescit *perditæ factionis licentia.* nuper visum est ad nihil conniuere, nihil dissimulare; neque aliquid in caussæ, quam tanto semel opere propugnandam suscepimus, patrocinio, præuaricatione transmittere. ipse si non considerate adeo, at strenue eam nauabo operam. Videmus, quantum referat, has exstirpatas esse *zizanias*, hanc euulsam *loliginem* ac eradicatam, vt se *felix* illa *iamque suppullulans rectissimorum studiorum planta* proferat, ac quam late propaget. vt, inquam, eiectis ac exterminatis, qui se *oborienti iam bonæ eruditionis soli intempestiuæ nubes* opponunt, qui *fulgidum* illud *veri splen-*

doris lumen, in ipſo ſuo *exortu* obſcurare, immo exſtinguere ac proculcare conantur, *bonæ artes* reuiuiſcant, *vtriusque linguæ commercium* nobis cum *Græcis* ac *Italis* conueniat: *Germania cultum induat, barbaries vltra hyperboreos montes, & Balticum vſque oceanum exſibiletur ac protrudatur.* Iam *binas* in me *ſagittas* contorſerunt *nebulones*, ſub *Pepericorni Iudæi* nomine. quæ me quamquam nullo meo dolore tetigerint, aut potius ne tetigerint quidem; & adhuc rem diſſimulauerim, aliquando tamen videbunt illi, *quem petierint.* Qui quum hactenus omnia licere ſibi putauerint, penſi non habuerunt, *aduerſus quem quid aggrediantur.* quare experti non dum ſunt *temerarii inſultores*, *quantus quisque in clypeum adſurgat.* Vbi audiendos non puto, qui ſuadent, vt ne inuidiam nobis conciliemus: & ab hoc metu tantum abſum, vt non *inuidiam* modo iſtorum non fugiam, ſed vltro *odium* etiam arceſſam. Ac *oderint* illi,

li,

li, ego operam dabo interim, vt simul aliquando *metuant.* sic decreui enim, nisi a nobis contineant isti, non *postica* iam vltra *sanna* persequi, sed *animoso in frontem impetu* obturbare. Id quod *te* pariter & velle scio, & facere video, *e paucis vnum* mecum. quod si non inconstanter adniteris, credo aliquando multorum cum pernicie multos adiuuabimus. Nec nos moræ pigeat. Quamuis enim paulatim procedit hoc, quod molimur; procedit tamen, & vel olim, quo debet, non sine publico aliquo commodo euadet. Interea *palmæ lignum imitabimur.* nempe vt, quanto nos illi magis supprimant, tanto obnixius sursum conemur, ac *aduersum onerosos oppressores indomabili nos contumacia attollamus.* Ad quod idem agendum *æqualium* nostrorum *studia* excitabimus: *tu veteranus iam*, & emeritis stipendiis, spatioso isto decurso campo, aliis præiens; *ego* in flore adhuc

& *tirunculus*, in omnem facile euentum alacriter contendens. Quod sic abs te accipi volo: ne me putes tantum placere mihi, vt eorum in numerum inuadam temerarius, *qui locupletare has apud Germanos linguas possunt;* sed qui mihi non ineptus, nec infirmissimus istiusmodi *factionis persecutor* videor: vt tuo atque aliorum præsidio, depulsis, qui *optimæ frugis sementem* nobis depascunt, isti aliquando proueniant fructus, quorum doctiores vos cultum huic *patriæ* inuehitis, nec in *vilem labrusam* hanc sinitis *vineam* degenerare, sed repastinando *politioris litteraturæ agro*, nullum laborem, ac nullum adeo fastidium subterfugitis, in eo *sollertis agricolæ* officio functi, *diligentis vineatoris* opus facientes, non sine fructu, vt videmus. Quippe, vt *totum* iuxta *Rhenum*, *Græcarum* pariter ac *Latinarum* eruditione litterarum conseuit ERASMVS, & *vniuersam inferiorem Germa-*

maniam, excitatis ingeniis, talem reddidit, vt cum ipſa iam *Italia* nullum valde certamen detrectet: & vt *Sueuiam* ſuam excoluit, & hoc exornauit decore CAPNION, ita TV *Ciuitatis tuæ iuuentutem* ad quem cultum, qua, Dii boni, ſollertia perduxiſti? id quod in illis videre eſt cognatis tuis *Geuderis*, tuo beneficio *Græce & Latine ſcientibus*: idque optime. quos primum domi tuæ erudiiſti, nihil veritus *homo Patricius*, *præmanſum cibum in ora puerorum infarcire*; deinde in *Italiam* quoque miſiſti. Quod animaduertentes tui ciues, & ipſi ſunt imitati, argumento abs te ſumpto, *quantum ſit recte inſtitui, recte diſcere.* Et facile hoc tibi ex propoſito ceſſit, cui vel primam ego felicitatem adſcribo, quod in ea *Ciuitate* natus ſis, *quæ omnium per Germaniam ciuitatum maxime bonis* primum *ingeniis exuberat*, ac *perenniter ſcatet*, deinde *honorem his habet*. ac *ſingulariter erga optimas quaſ-*

que

que artes adfecta semper fuit, & diu iam *sola* ac *vnice* fuit. Nam & patrum nostrorum memoria IOANNEM DE MONTE REGIO, *meum ciuem* (eum, qui vt in *Mathematices cognitione*, vnanimi omnium consensu, ipsi *Archimedi* palmam præripuit, ita inter *primos* huius sæculi, non dico *Germanos*, sed *omnium vniuersim nationum* dico, vix dum *respirantibus* tunc *litteris*, *pure & citra vitium Græce ac Latine & locutus est*, *& scripsit*) cæcutientibus aliis, nec hominis virtutem agnoscentibus, *sola* suspexit, stipendio prosecuta est, ciuitate donauit. & superioribus annis CHVNRADVM CELTIM *poetam*, ignoto tunc in *Germania poetæ vocabulo*, honorifice habuit, & pecunia iuuit. *aliosque* complures reuerenter accepit, & liberaliter fouit. Id quod ego isti apud *Venetos adagio* locum dedisse, arbitror: *Omnes alias in Germania ciuitates cæcutire, vnam adhuc Norimbergam altero videre oculo.* sic enim dicunt illi,

li, siue ob hanc caussam, siue quod vestri homines *ingeniorum acumine*, ac singulari quadam ante omnes *industria* mire excellunt: quod vel in his *artificiis, quæ manu exercentur*, videre est. iam hoc enim persuasum omnibus est, quæ *opera vestratia* sunt, ea *egregia esse*, aut magis, quam aliorum ex voto hominum fabrefacta. tum fama est, *nihil apud vos adulterari*. Cuius rei *Italiæ* persuasionem vel maximam sui documento indidit ille nostro æuo pingendi artificio *Apelles*, ALBERTVS DVRER: quem illi, quum nihil facile *Germanum* laudari apud se, aut ex *inuidia*, qua *gens illa peculiariter laborat*, aut recepta iam vulgo ibi *opinione, ad omnia quæ ingenio indigent, hebetes nos esse, & inertes*, patiuntur, ita tamen admirantur, vt non solum vltro ei concedant, sed & quidam, vt opera sua vendibiliora faciant, *illius* sub *nomine* ac *inscriptione* proponant. In *nostrum ordinem lente admodum serpit*

hoc

hoc bonum; multis tot iam annos pertinaciter exiſtimantibus, *præter equeſtrem dignitatem eſſe litteras ſcire:* neque aliud magis aut prius inuidiam apud nos peperit *claro Equiti* EITELWOLFO, quam quod is *hanc* in primis ob *virtutem* emerſiſſet, ac tantus eſſet. qui, quum innoteſcenti iam mihi ſua ope ſuoque conſilio, quantum poſſet, præſidium adferret, atque eam ad rem nacti eſſemus *Principem, ſupra vulgarem eius ordinis captum, ingeniis pariter ac litteris fauentem,* iſtum, Bilibalde, quem tu recte admiraris, ALBERTVM; iamque ego illius ſimul ſuffragiis, ac optimi Principis liberalitate emergerem, occidit, proh dolor, occidit. Optimo enim iure eius mortem doleo, qui *meam adiuuit vitam.* quamquam non tam priuato *meo incommodo* occidit *Eitelwolfus,* quam *publico litterarum ac litteratorum omnium.* iam quiddam parabat enim, vnde nobis magnifice conſultum fuiſſet; niſi in-

intempeſtiua mors ſanctiſſimas hominis cogitationes interrupiſſet. Verum dolore meo longius euagor. Huic, inquam, tali viro *inuidiam* peperit, *quod ſciret litteras.* Adeo *indurata ſunt adhuc aduerſus humaniorem humanitatem noſtrorum corda.* adeo *non ſapiunt, quos recte ſapere primos oportuit.* Quamquam *ab aure Cæſaris potentes* qui ſunt, hi factioni noſtræ plurimum deferre videntur. Idem apud reliquos Principes, qui non in poſtremis recumbunt, ac *ipſi* etiam *Principes* nobis pollicentur. quibus nos magnis interim nominibus applaudimus, *Mæcenates* nonnumquam, vel *Auguſtos* etiam vocantes: non, quod vllæ hoc aliquando illorum virtutes mereantur; quum aliqui publico potius odio, quam priuato fauore digni ſint: verum ſpe quadam *ad priſtinæ bonitatis æmulationem excitandi;* vbi non penitus noſtra nos fefellit opinio. Aliquos iam enim coegimus

gimus *pudore sui benefacere nobis.* qui si nihil aliud, hoc iam acceperunt, *quod fauere litteris, id sit Principe dignum.* Quare consilium est meum, *beneuolentiam* istiusmodi generis hominum *modis omnibus captare*, ac vbivbi liceat, *fauori Principum retia tendere*, & ob id *illis adhærere*, ac publica incunctanter munera obire; vt nos ibi conformemus aliis, præsertim nulla alia via emergere quum videamus eos, *qui leges profitentur*; & *Theologi qui vocantur*; quos & ipsos hæc alit ambitio. Quod dum conor, reclamas tu, & tamquam ad errorem abeuntem me reuocas. Quasi vero non possint hæc simul agi; aut *tu* aliquando, *in aula omnium turbulentissima*, quum te vertendum ad reuertendum præberes, & curis ac sollicitudinibus commordereris, vel tunc, *quum militares* etiam, & Ciuitatis tuæ copiis quum præesses, studia interim omiseris, & non *aliquando his te delinimentis refouendum dederis*: aut de me

ibi

ibi conclamatum ſit; & imbecillius hoc videatur ingenium, quam vt duo hæc ſuſtineat. Niſi vero nouum tibi videtur, *inter negotia litteras, & cum litteris negotia in vſu habere.* vbi exemplis non eges, haud ignarus, quam multi, & qui hæc feliciter coniunxerint: deinde, quam contempti olim fuerint, nedum hac tempeſtate ſint, qui ſic otiantur, vt non aliquando negotia vel ſuccisſiuis temporibus admittant. Nec me ſummis tamen ingeniis inſero, ſed ferre hæc natura, hæc ætas *domeſticum ſitum, tranquillam obſcuritatem* vel omnino non poteſt, vel adhuc non poteſt. *Sine deferuere hunc ardorem, animum irrequietum & verſatilem parumper delaſſari;* dum iſtam mereatur quietem, ad quam me ante tempus, vt videtur, adhortaris. Si *rationem* exigis *vitæ, quam ſub Principe ago:* nuſquam, mihi crede, ſtudioſus magis fui, Principe ſufficientem ad hoc quietem indulgente. nam,

quæ eſt illius benignitas, plenam a vulgaribus conſultationibus, & plebeio rerum tractatu vacationem conceſſit: quod ego *tempus ſtudiis admetior.* præter illud otium, quod cum aliis mihi commune eſt. Quocirca *portatilem maxime bibliothecam, optimum quemque auctorem, mecum circumfero:* ac vbivbi licet, aliquid *lego*, nonnumquam *ſcribo* etiam; & ſæpe in turba ſolus ſum: quamquam etiam ſoli eſſe licet. Iam & *anagnoſtam mihi quæro;* puerum aliquem ingenio bono, & in ſtudiis aliquanto iam plus, quam qui vulgo, peritum: qui expedite ſciat legere & manus velocitate dictantem facile conſequatur: in ſtudiis qui mihi miniſtret, ac laborem minuat. Necdum bene inſtituere tibi vitam videor? & adhuc iſtam mihi cantilenam repetis: *dignus es, qui ab aulicis præſerueris ærumnis?* Agnoſco ſtudium in me tuum: ſalutari admonitione amico conſulis. ſi nondum
me

me iſtis eripis, acerbioribus adhuc ferendis incommodis (iam hoc videndum eſt enim) relinquis. Et dic mihi: prouiſum habes, vnde me detineas, & vbi colloces? aut cum tuo ſtatu meum confers? & quemadmodum *in ciuitatibus* vos, quibus non placide tantum, ſed & molliter, ſi cuius in mores hoc cadat, *viuere eſt facile*, ſic me vmquam inter *Equites* meos *quieturum* putas? & oblitus es, *in noſtro ordine, quibus conturbamentis, quæ animorum iactatione obnoxii ſint homines?* Noli ſic putare: & ex *tua vita* noli *meam* æſtimare. Ita nobiſcum agitur, vt patrimonium etiam ampliſſimum ſi mihi ſit, vt poſſim ex meo viuere mihi: *hæ ſunt tempeſtates, quæ me quieſcere non ſinunt.* Viuitur in *agro*, in *ſilvis*, & in illis *montium ſpeculis* viuitur. qui nos alunt, *extreme pauperes* ſunt *coloni*; quibus agros noſtros, vineas, & ſiluas locamus: *vectigal* quod inde redit, pro eo, qui aduertitur, labore,

exiguum eſt, & *tenue:* ſit, vt ampliſſimum ſit & pingue; magna cura, magno opere quæritur. Nam *patresfamilias* eſſe oportet nos diligentiſſimos; deinde *Principis* alicuius *famulatui* addictos, a quo *tuitionis ſpes* dependeat: niſi fuero, omnes ſibi in me omnia licere putant: ſi fuero etiam, *mixta* illa *periculo*, & quotidiano *metu ſpes* eſt. nempe, ſi quando egrediar domo, in eos ne incidam, quibuscum illi, quisquis es Princeps, negotium ſit, aut bellum ſit, quo me nomine inuadant, & abripiant. quod ſi mala mea fortuna contingat, dimidium facile patrimonii adimitur in redemptionem: atque ita, vnde *defenſionem* ſperaueram, *offenſio* incumbit. Proinde hunc in vſum equos alimus, & arma comparamus; numeroſo comitatu ſtipamur. magnis ac grauiſſimis per omnia ſumptibus. neque vſquam vel duorum iugerum itinere niſi *armati* exſpatiamur. nullam licet villam inermi viſe-

re

re, non *venatum*, non *piſcatum* exire licet, niſi *ferreo*. Interim crebræ mutuo *contentiones*, inter villicos aliorum & noſtros oriuntur. neque dies vllus eſt, quo non de aliqua ad nos *lite* referatur, quam cautiſſime componamus. Nam ſi contumacius mea tuear, aut iniuriam etiam perſequar, *bellum* naſcitur; ſi quid patientius remittam, aut de meo etiam concedam, iam omnium ſtatim *iniuriis* pateo; quum, quantum vni conceſſum eſt, concedi ſibi velint ſinguli. At inter quos fiunt iſta? Non inter alienos, amice, ſed inter *adfines*, inter *cognatos* & *propinquos*, atque adeo inter *fratres* fiunt. Atque *hæ ſunt noſtræ ruri delitiæ, hæc otia, hoc tranquillum.* Ipſa ſiue in monte eſt *ſpecula*, ſiue in plano, non ad amœnitatem, ſed *ad munitionem exædificata eſt*; foſſis ac vallo circumdata, intus anguſta, manſionibus pecorum, & armentorum conſtricta; obſcuræ iuxta cellæ bom-

bardis, pice ac ſulphure, & reliquo armorum ac bellicarum machinarum apparatu oppletæ: bombardici per omnia pulueris fœtor. deinde canes, & canum excrementa, iucundum, reor, & ipſa odoramentum. Accedunt & abeunt *equites;* inter quos raptores, fures & latrones: omnibus enim talibus patent noſtræ domus; aut ignorantibus nobis, qualis quisque ſit, aut non inquirentibus. Audiuntur ouium balatus, boum mugitus, canum latratus, hominum in agro operantium vociferationes, carrorum & vehiculorum ſtridores ac ſtrepitus: noſtræ domi luporum etiam vlulatus; vt quæ nemoribus vicina eſt. Omni die de craſtino *cura*, & *ſollicitudo* eſt; continui *motus*, perpetuæ *tempeſtates*, fodiendi agri, ac repaſtinandi, operandum in vineis, plantandæ arbores, irriganda prata, occandum, ſerendum, ſtercorandum, metendum, triturandum, ſubit meſ-

ſis, ſubit vindemia. Tum, ſi quid vno aliquo anno male prouenit, vt in illa *ſterilitate* plurimum, mira *egeſtas*, mira *pauperies*, vt numquam non ſit, quod moueat, quod turbet, quod angat, quod maceret, quod conficiat, quod euocet, quod extrahat, ac extrudat. Atque *in hanc me vitam, vt ſtudiis dignam, ab aulica, vt indigniſſima, reuocas;* ibique me conſulto ac propoſito, tamquam in *optato* quodam *vitæ portu* collocas ac reponis. teque putas, quum hoc facis, in *quietem* me & *tranquillum* adſerere: aut ſi non putas, qua ſaltem mente ſuadeas, id me celas. Nam tua quæ interim conditio ſit, & meæ quomodo conferri debeat, quantumque *tua vita ab his motibus libera, aduerſum has tempeſtates, hos tumultus, munita ſit ac tuta*, quid refert ſcribere, quum non propoſitum ſit te docere quæ noſti, ſed enuntiare ea, quæ me ignorare exiſtimaſti? Etiam ſatis, opinor, tibi oſtendi, quam *me nul-*

la morum inconstantia, nullum voluptatis illicium, aut rerum nouarum studium ad aulam inuitet, sed quæ necessitas cogat: vt minus nihil debeas, quam *aulicam nassam*, in qua me detineri captum dicas, aut *hamum* illum *curialem*, quem deuoratum mihi imputes, obiicere. primum enim *nullum deuoraui hamum; sed ab hamo escam decerpo, & caute ac citra periculum citraque discrimen circumrodo.* deinde illam fateor *nassam* inhabito, sed *egrediundi* certus, explorato prius *reditu*, & *a Dedalo accepta commonitione, ab hoc Labyrintho regredi quomodo oporteat.* Proinde bono animo esto. *Securus sum, & mihi consto. Nec* est *ambitio*, quæ me peruertit, *sed honesta ratio*, quæ *per debitos mihi honorum decursus ducit.* Iam *hoc mihi nomen tuendum est, conseruanda dignitas, æquanda Maiorum industria, augenda familiæ, quam mihi gentiles mei imputant, claritudo & gentilitius propagandus splendor.* Vbi si cessauero, *& mihi dero,*

ero, & litteris. mihi quidem, non ita magna mea cura, *litteris* vero, quibus *omnimodo apud contribules & in hoc ordine conciliare fauorem, excitare auctoritatem ſtudeo.* Præterea intuetur me *vniuerſus ordo.* Omnia mea conſilia, nedum facta obſeruant homines. petitur a me, non tam quod debeo, quam quod exigere illis in mentem venit. *magnam* de me *exſpectationem, maiorem opinionem* habent, eamque *ex nominis mei fama,* quam non recte comparant, *metiuntur.* Ibi ego niſi aliquid coner, aliquid præſtem, tunc vero dicet quiſque eorum, qui ſic rem æſtimant; aut eorum certe, qui non obſcure intelligunt, aliquis dicet; aut quilibet etiam: *quid ergo tanti eſt, hunc iſto labore, hac impenſa, hoc diſpendio, hæc didiciſſe?* Atque ita poſt ſentient, ſua partim opinione, partim aliorum perſuaſu, *ex litterarum ſtudio fieri homines pigros, deſides, ignauos, ceſſatores, molles & ſupinos, & idcirco tamquam a*

re nostris Maioribus, hac nobilitate, his imaginibus valde indigna, liberos suos dehortabuntur ac abstrahent; putantes, hoc nisi faciant, illos sic institutos, omnem suorum, omnem humani generis curam dimissuros, ac nullum in vsum victuros. Qua de caussa *obsequi hominum voluntati certum est, & hoc facere, quod illi exspectant, aut ego possum.* spero autem facturum, non *pace* solum *litterarum*, sed & *commodo, salva* aut etiam *aucta dignitate* mea. Porro *seruitus* illa, vt *honesta* est, ac *liberalis*, ita a me proponitur *temporaria, non perpetua:* deinde *honores* mihi, & ad aliquem sublimiorem splendorem, altiorem statum, *prouectionem* pollicetur. *Nec tu* igitur *stultum me puta, si ad honores adspiro, aut perditum inter aulicos tumultus; dignitatis meæ incrementum si ambiam: sed temporum potius conditionem ac communem hominum sensum,* aut hoc potius, *quod semper omnes ac maxime clarissimus quisque factita-*

ctitarunt, considera. Tum, si aliam tu & *commodiorem vitam* nosti, perscribe, edoce, indica, velle aurem, manu duc ad *illum turbis inaccessum locum. Mihi* quidem, cui *quoddam diuturna illa peregrinatio iudicium dedit, erroris multum excussit; turbis & inquietudinibus, tum miseria quoque & omne genus Tragœdiis mixta ac referta omnia videntur.* & quo me cunque vertam, *nihil securum, tranquillum nihil* video propositum. Sunt officia, sunt clientelæ, sunt fora, sunt conuentus, sunt obsequia, sunt curæ, sunt motus, sunt labores, sunt fastidia, tum *casus, & vndique imminens fortunæ iniuria, ac morbi, & dolores.* Nedum *aula istis scatet,* quæ ego in illa depinxi *Nauigatione.* vbi mihi oratio arbitror defuit, res non defuit: & *adhuc disertum aliquem ea desiderat Fabula,* qui plenius omnia exponat, & fortasse *rem qui verbis æquet.* Sed mihi sic videtur, *nihil vsquam non æque, ac illa est aula, turbulentum.* Tamen si quid

quid habes exploratum, quæso, prode, commonstra. ne tantum isthinc abstrahas, non aliquo trahas. *de tuo consilio faciam omnia.* Si cessas, aut si cunctaris, inclamo, increpo: *quo res summa loco Bilibalde? quam prendimus arcem?* Iam ab illa audisti quantum *abhorream soluta vita?* & vt *agere aliquid* proposuerim, priusquam in illos me *secessus* reiiciam. Non quod *in diem viuere* decretum sit, aut *euentibus meam vitam* quod *dediderim*, & *impetu quodam ad incerta ferar*, sed quod ea nondum parta sunt, quæ ad *illud* pertinent *æqualiter viuere, & vt mihi constem.* Adhuc *omnis* enim *quietis, nedum torporis ac inertiæ, hic impatiens est animus. nondum me domui, nondum ætatis feruorem mitigaui, nondum meritus sum, vt cum Epicuro lateam.* qui ad *otium* quidem inuitat,; sed *otii* (ne dubita) *capacem*, vt, si hodie reuiuiscat, & erudiendum me accipiat, non prius ad illas rapturum *latebras* crediderim,

quam

quam *ſit aliquid cognitum, aliquid actum.* Quod te ſcire oportet, *non fluctuare me, & inter diuerſa ambigere, ſed quiddam ſtatuiſſe, & aliquid eſſe, in quo defixus hæream; quo illum dirigam vitæ arcum; ad quod libere & propoſito contendam: ſed alieno ſine adminiculo peruenire deſperem.* Itaque illum peto *ex hac naſſa cibum,* huic, Bilibalde, *itineri viaticum.* Opus eſt enim mihi, vt *emergam, aliunde quæſitis.* Id quod *in aula* fieri quomodo poſſit, & mihi quam facile, aut quam difficile ſit, non eſt nunc locus exponere. haud te latebit tamen, *vitæ meæ ſubſidium qualiter captem.* aliquando enim dicam, non per interpretem, aut litteris internuntiis, ſed *ſolus ſoli.* Ad præſens vero ſatis habe, id ſcire, quod toties repeto, *neceſſario me cogi ad aulica obeunda.* vbi ita *me explanabo,* ita *dilatabo,* vt quamprimum *occaſionem,* quæ ſe dabit, ſpero, non ita multo poſt, nactus, *contraham & ſubſidam.* Quod ſi

tibi

tibi mutasse *statum* videbor, & *conditionem* alterasse, *animi adfectus non* videbor: ita dabo operam enim, *Huttenus perpetuo sim, neve* vmquam *desertor mei* inueniar; sed *aequaliter per inaequales vitae actus* vt *deambulem.* Sine igitur *ad tempus* illis me *venditem curionibus:* sine *paulisper ineptum esse.* sic ille enim apud *Ciceronem* hanc sibi veniam deposcit: sine, inquam, *inservire temporibus.* nisi hoc tu indulgeas, cogor *praeter imperatoris iussum stationem deserere.* Sed puto, sines, aut consilium etiam dabis, *quo mea me rapit fortuna*, aut *quo fatum* potius, *eo ferri.* quippe *feror*, sed *non inuitus. Ducor*, sed *comite ratione, nullo impetu.* neque ita feror, vt non, quam primum volam, aut *receptui canat* illa *vitae dux ratio*, pedem referre liceat, ac satietate istiusmodi rerum percepta, in tutum me recipere, ac ex ista *nauigatione* in *portum* aliquem subducere. Praeterea non hae sunt intemperiae, vt quieti

quieti tumultus præferam, ſed ante illám hos experiri cogito. Quid *cogito* dixi? immo, vt prius, *neceſſitate* quadam *cogor*: *per aliquot* enim *iubeor honorum gradus decurrere*, priuſquam me his ſubtraham turbis: vbi ſi quæ *exhaurienda moleſtia* ſunt, iam *illarum mihi patientiam indixi.* ac his vtar, tamquam ex *promptuario* deſumptis; quæ *in ſchola*, quæ *peregre didici*, *æquanimiter* vt *feram omnia*: *neque ad quemlibet ex diuerſo motum diſſoluar.* Sic conſueui enim, ac me *indurani*: & *pati ſtrepitus*, *pati* etiam *inſultus* ſcio: ac *diuexationes ſuſtinere* non imperite calleo: animumque diſpoſui, & *æquanimitatem indui.* Porro mala ſi poſſem fugere, quæ vellem prius, quam illa corporis, *morbos* puto, qui me aliquando *mouent*, *numquam dimouent?* ſi conuellere enim poſſent animum, iam mihi omnem ſtudiorum curam aboleuiſſent; quum nullam ob vitæ intemperantiam, quod ſciunt, qui

me-

mecum versantur, sed *studio & peregrinatione stomachi imbecillitatem contraxerim*, & *corpus infirmum reddiderim.* quod & *in peregrinatione multa sustinui incommoda*, nunc *frigus* & *æstum* acerbius, nunc *famem* & *sitim* frequentius: aliquando nimiam itinerando *fatigationem* perpessus; quæ præter *ob nimium e vulneribus emissum sanguinem virium corporis exinanitio*, & *natiui roboris attenuatio* accessit. Ceterum quæ tu obiicis terricula, non mouent. quippe *animo composito qui est, ille vbique tranquillum, vbique secessum & solitudinem* habet. nam *quæ auribus circumstrepunt, nihil ad animum.* Quapropter *in mediis* illis *aulæ tumultibus* credo non defuturam mihi summam interdum *quietem.* quod ne pluribus tibi persuadeam, scias, a nullo *me* heic bono magis absfuisse *hoc anno*, quam ab illa studiorum quiete; & tamen *studiosum fuisse plurimum.* At habuit hic annus *multum curæ ac sollicitudinis*; dum me

vestio,

vestio, dum exorno, dum cærimonias aulicas edisco, & curialem disciplinam imbibo: dum me aulicis moribus apto; dum equis ac armis instruo: eiusque rei gratia vbilibet amicos ac propinquos sollicito, ac cuiuslibet operam deposco; & ipse curro ac discurro. quare non ita plus ademptuṛum mihi studii reliquum tempus metuo. Certe hactenus bene cessit. nam & *amicos salutaui litteris*, & *legi* ac *scripsi* & *aliquot*, vt vides, *opuscula elucubraui*. Quorum nunc *Orationem ad Principes exhortatoriam* mitto tibi editam. Vt scripseras, inquis? Minime. Atque hoc est, quod *doleo, non licere mihi, quod opus maxime fuit, hoc tempore loqui, aut scribere. Manca* est igitur; & *partem sui meliorem* per deos, quæque inprimis desiderari potuit, infelix illa declamatio *perdidit;* non vitio quidem meo, sed eorum, qui ne suam quidem caussam libere agi sustinent. adeo *ingrata res est hoc tempore*

dicendi libertas. adeo *Germania esse desiit Germania:* & nunc *facillime probatur, qui facillime adsentari consueuit;* contra *odio digni videntur, qui veritati student.* Ἐγὼ δ' ἀγεννοῦς ἀνδρὸς ἔργον ἡγοῦμαι τὸ μὴ ἀληθὲς, εἰ καὶ μέγας ἀνθίσηται κίνδυνος, διαγορεύειν. Sed *mihi, si dignitatem habere volo, & vitam habere si volo, officium boni viri implere non licet.* Et iam plus nimio de his, quæ dolorem exulcerant meum: quorumque in contemplationem si me demittam penitus, non probauero tantum, quod tu suades, vt *mihi & Musis viuam,* sed confestim etiam ac repente, si liceat, aggrediar. quamquam, vt plane intelligas, quid proponam, adhuc aliquam *mihi quietem,* aliquod his *studiis otium prospicio. tantum abest, vt inter aulicos sycophantas,* quod tu caues in Epistola tua, *consenescere cogitem,* neque id modo, sed & *diutissime versari vt decreuerim.* Vbi fateor, *aliquid in fortuna situm est,* vt vbique & per omnia. quæ

si

si male mihi volet etiam, consolationem adferet, quod *hanc iaciens aleam*, nihil periculosius feci, quam si quodcunque aliud vitæ genus instituissem. Ideo perinde mecum agitur, ac cum illis in *taxillorum ludo* securi de lucro ac damno qui sunt, quod aut nihil est, aut parum, quod perdere possunt. *Tempus*, inquis, *perdideris*. Non magis, quam si *peregrinarer*; aut aliquanto minus etiam: nam ibi *anxie omnia, sine cura nihil cedebat*, modo de viatico sollicite cogitanti, modo in periculis agenti vitam, quam terra & aquis in discrimine frequenter habui. nonnumquam eo res mihi redibat, vt, quod ederem, non haberem, multo minus, quo vestirer. *Miram* enim *Tragœdiam* audias: quamquam audisti aliquando *fabulæ partem*: sed ea, quæ tum *alibi*, tum vel præcipue *in Italia* pertuli; vbi *penuria viatici militare* etiam *coactus sum, dura pertuli*; ordine si tibi recenseam, *miram & supra*

fidem lugubrem Tragœdiam audias. Quod si scias, & rem, vt est, intuearis, tantopere abhorrendum ab *aula* non putaueris ei, qui tot malis induratum gerat animum: *nec ita sapiens esse desidero, vt non aliquam a fortuna exspectationem traham. Iam* ab illa enim *suspensus teneor,* & *in rotam me vertendum conieci*, exspectabundus, quo euehar: certe aut euehet me illa, aut non deprimet. quo posset enim? præsertim quum *ea, quæ illius sunt mecum, nihili faciam, ea, quæ vere mea, auferre non possit.* Quæ tibi consolatio satis efficax in dubiis non videtur? Non *magna fiducia, posse augeri, non posse minui? Facultates* namque vt sunt, si euertantur etiam, non multum admodum periisse mihi duxero. ita illas enim æstimo, vt siue omnino pereant, siue non augeantur, perinde censeam; certus, aut amplioribus esse opus mihi, aut istas non satis esse: quamuis non sunt angustissimæ illæ.

sed

ſed *meus ſe animus amplius explanat, quam vt intra has habitaturum me ſperem.* Deinde quia *mea omnis dignitas ex animo eſt* mihi; inque animo, *fortunæ iuris nihil eſſe in illam*, compertum habeo. Porro *nobilitatem augere magnifice poteſt, minuere nullo opere poteſt.* Vides, quibus in firmamentis, qua fiducia conſiſtam? quibus me præſidiis circumdederim? quibus copiis inſtructus ſim? At *fortuna quod dedit, eadem aufert plerumque.* Sic eſt: nec id ſolum; verum etiam ſi quid eſt, quod illi acceptum non referimus: *neque* ego *quicquam earum rerum, quæ exterius homini adſunt,* eſſe video, *quod non caſibus expoſitum* habeamus. Iam *honores ambio*, quos, ſi liceat, citra inuidiam velim indipiſci, ſin autem, vtcunque. Tum quædam *me tenet non minima gloriæ ſitis*, vt nobilitari, quantum poſſim, cupiam. ac *male mihi ſit*, Bilibalde, *nobilem ſi me puto,* quamquam hoc ordine, hac fa-

milia, his ortus parentibus, *nisi me ipse fecero meapte industria.* Quippe maius opus moueo; altius meditor, non quidem in editiorem splendidioris familiæ locum vt transeam, sed aliunde *quærere nobilitatis*, de qua hauriam, *scaturiginem satagens:* vt non ex *imaginariis* illis *nobilibus* tantum censear; aut eo, quod a Maioribus meis accepi, contentus sim, verum *aliquid ad istas dotes, quod a me in posteros proficiscatur, adiecisse videar.* Qua in re, quamquam non omnia *fortunæ* sint, *aliquod* illa tamen ibi *momentum habet:* ac nescio, an *multum etiam possit.* Vides enim quibus adminiculis, qui aliquando clarescunt. quod etsi non sine virtutis plerumque iniuria fiat; communem tamen accusationem effugit. Sed hoc *genus nobilitatis, quod totum a fortuna est*, nec adfecto, vt *friuolum*, nec eo mihi opus video. *Quædam sunt, quibus inuita fortuna, ipsa etiam virtus non emergit.*

git. atque *ibi illam verti rotam cupio, illam intueor cæcam Deam, insanam moderatricem, omnis motus, omnis varietatis reginam, temere se circumferentem, infirme consistentem, volatilem, mobilem, mutabilem, versatilem, inconstantem, incertam, vagabundam,* & quæ in illius contumeliam fingi possunt alia. ibi, inquam, *opus* esse mihi *casibus*, opus esse aliquo puto *secundo rotatu, vt euehar, vt prouehar.* Atque eo studium, eo operam aduerto ac intendo, *diuersus opinione ab illis, qui quodcunque est, id satis ducunt.* nam mihi tale nihil satis est. In quo *vt ambitionis confessionem ipse* tibi non tortus, ne rogatus quidem *edidi;* ita *illis non inuideo, quos ab infimo progressos, meam transcendisse contigit sortem,* & *ab hominibus* mei ordinis valde *dissentio, eos, qui sordida quidem origine, sed virtutis ope eluxerunt, criminari solitis: optimo* enim *iure præferuntur nobis, qui materiam gloriæ,* quam pro neglecto ipsi habui-

mus, *ſibi deſumpſerunt & occuparunt;* etiam fullonum aut cerdonum filii ſi ſint. quandoquidem maiore hoc difficultate, quam nos potuimus, adſecuti ſunt. *Non tantum ſtultus eſt* igitur *illiteratus quiſpiam, ei, qui litteris enituit, inuidens, ſed miſer etiam eſt, aut miſerrimus potius. Quo vitio peculiariter noſtra laborat nobilitas, vt aduerſus huiuscemodi ornamenta oblique adficiatur.* At *quæ* per Chriſtum *inuidia eſt hæc, habere aliquem, nos quæ negleximus?* Cur non enim didicimus *leges?* didicimus *litteras?* atque *optimas artes cur non ipſi didicimus?* quo minus fieret, vt nobis ſutores, nobis fullones, & carpentarii illi præirent? cur locum ceſſimus? cur liberales diſciplinas ad ſeruitia, & illas (proh ignauiam) ſordes ablegauimus? Recte igitur quod nobilitatis erat, deſertum a nobis, ſtudioſiſſimus quiſque inuaſit, ac ſua induſtria vſu cepit: *nos miſeri, qui tantum omittimus, quantum infimo cui-*

que

que supra nos euolandi satis est. Quin desinimus inuidere igitur, aut ipsi potius hæc conamur, quæ ingenti nostro pudore aliorum fiunt. *Omnium est* enim *quod derelictum est:* aut quo omnibus patet aditus; quem nobis quanto, quam istis, occupare facilius fuit, nisi vltro nollemus clarescere? nisi alia nobis multo his inferiora curæ essent; nisi per torporem & ignauiam desideremus. *Gloriæ* vero *omnis honesta est ambitio: omne circa virtutem laudabile certamen.* quamquam *est & suus generi honor, suumque adfert & ipsum decus. nec illæ penitus contemnendæ imagines, illa sine ornamento stemmata.* Sed quicquid horum est, *proprium non habemus, nisi nostris quibusdam meritis illud nobis conciliemus. nec adhæret, nisi in similes sui mores incidat nobilitas.* Quare frustra pinguem aliquem & crassum ex illis patremfamilias, Maiorum tibi suorum statuas ostentantem, videas, quum i-

pse desideat interim; magis trunco similis, quam, vt cum illorum, qui præluxerunt virtute, conferendus veniat. Atque hæc de mea ambitione, cuius tibi rationem, vt copiose, ita ingenue reddidi. Superest, te rogem, ab aula ne me, nisi maturum, abripias ac decerpas: quandoquidem *ipsam maturuisse* velles *Aulam; antequam mihi sic excidisset:* ac de meo incepto vt melius omineris, & me agere aliquid sinas, his annis, hoc in flore, vel hominum opinionis habita ratione; qui meum hoc *otium sinistre volent interpretari, si capessam ante tempus:* quum, *etiamsi quiescere instituam*, id multis de caussis, quarum tibi vix capita exposui, vix nomenclaturam feci, *non possim.* Age vero considera, mi Bilibalde, *quid alium aliquem, & me quid deceat.* Iam illud *Senecæ* quam non negligendum: *Et quiescenti*, inquit, *agendum, & agenti quiescendum.* Porro quis velit hoc

hoc tempore imitari veteres illos *Stoicos, a rerum actibus, tamquam a vitæ quadam peste, refugientes*, vt se in *profundam* illam, & *infructuosam quietem*, non abscondat tantum, sed defodiat etiam? aut cum illis sentire quis posset, *circa Philosophiæ studium insanientibus Cynicis?* Præterea, *tot omnium ordinum optimæ spei iuuenes, æquales meos, circa gloriæ quæstum desudare* quum videas, & *ipsum te mihi exemplo praiisse* scias; adeo *ferreum* esse iubebis, vt *nullo* & ipsum *æmulationis studio teneri, nulla veræ laudis adfectatione incitari* voles? Tunc ista tua erudita commonitione vti debebas, quum *annos agentem in Italia prope quatuor, ac magna rectiorum studiorum iactura Accursianum absynthium potantem, perdere tempus* videres. Sed tunc non sic noras, nondum familiarem habebas. Admitto excusationem, ac te erroris etiam, nedum culpæ, absoluo, vt tu ad meam vicissim *ambitionem*, meam *stul-*

ſtultitiam conniueas. & vel *aliquot annos hanc mihi vtendam aulam* permittas; a cuius adytis, tamquam interdicto, ita me ſummoues. Quem tuum rigorem mitigare quæſo velis. *Caute tractabo hanc conditionem*, ne dubita. *ſic adſcendam, nulli vt me præcipitio temere committam, in plano verſabor. quæ tutiſſima eſt, in ea me parte, quantum fieri poterit, continebo.* Ita iam firmaui me, ita communiui. Vis magnifice aliquid audire etiam? quamquam vt non velis, dicam, iſta tua ſincera Epiſtola facile omnia quum extorqueas mihi, dicam aio: *vno eodemque tempore & facto, honores & ſequi poſſe videor, & contemnere.* Habes ſummam, nihil reſtat. Vbi iſte *efferbuerit*, quo me flagrare *æſtu* intelligis, ac illam ego, quam toties retracto, *neceſſitatem* proſecutus ſatis fuero, & *iam aliquid peractum erit, quo me vixiſſe teſtatum eſſe poſſit*, tunc *in hominum obliuionem* te ſuaſore *decumbam*,

bam, tunc *quietem*, tunc volentibus diis *tranquillum ipſum appetam.* tunc *in aliquem me angulum praripiam*, in aliquem *abſtrudam tranquillitatis ſpecum*, vnde in hominum *curas* ac *negotia* proſpiciam & iſtos tecum *rideam faſtu & ſuperbia tumentes aulicos.* illos *pictura tenus nobiles*, illos *librorum ſtrue exſultantes Iureconſultos*, illos, *qui ſe in nugis admirantur*, *Theologiſtas:* quorum nunc *concinnatas* in me *figuras* non obſcure intelligo, & ad *bilioſum cuiusdam* σχῆμα interprete non egeo. qui ſi ſciret, quam nihil faciat, dum hoc facit, & meo animo quam nullos morſus hæc maledicta concitent, tantum operæ non perderet, tantam olei impenſam non faceret; quum fruſtra fieri videret. *Proſcindunt me* heic *Iurisprudentes*, vt ſibi videntur, quidam *cerebroſi* illi ac *ſtolidi homines*, ob *Nihil* & *Neminem fabulam*. hui, ſi audias, qui de me ſermones, quæ fabulæ ſint, quam *infelix Nemo*

totas

totas ſibi adeo cœnas, in ipſa nonnumquam repotia productas vindicet. Coniurarunt inepti, *nullam mihi poſthac operam impertituros:* in tantum ægre ferunt hanc *fictionem*. noui, quibus ſympoſiis, qui homines, quam licenter contra abſentem inuecti ſint. Quibus ego medium digitum oſtendo, ſic inſipientibus, vt *in nugis Tragœdiam agant*. An tu ſana mente aliquem exiſtimas hoc moueri *nugamento?* Venerunt ad me, qui & ipſi doctores ſunt, ſed doctiores, quam iſti, quos dixi, ac *riſu pæne diruptos ſe in lectione Neminis* dixerunt. ſani illi; ac nihil ad ſe pertinere arbitrantes, quæ *in temporum vitia a nobis declamantur.* Tu iſtic ſi quos videbis implacatius iraſci, intercede; deprecare pœnam miſero mihi. dic, *Neminem eſſe, qui hanc moueat Camerinam, hoc tetigerit bidental; quid ad Huttenum,* inquiens, *Iaſonis auctoritati ſi quis Nemo refragatur*, aut *Accurſium inceſſit?* & *ante Bartoli ſepulcrum*

pulcrum

pulcrum si quis, Nihil qui est, non congenudauit? Facile impetrabis mihi vitam, aut supplicium deprecaberis. *quod si læsam Maiestatem interpretabuntur*, ac *perduellionis arcessent*, interroga, *num Accursium intellexisse putent, perduellionis crimen quod sit.* quo abs te quæsito, persecutionem mei deserentes, *in centum millium singularium glossarum allegamenta palantes* egeris. Verum hos *nugatores* missos facio, & reliquas tuæ Epistolæ partes persequor. Non falsus es opinione, quando scribis, *in Aula mea intelligi, nonnumquam valde concitatam mihi bilem, quum iamiam acrius insurrecturus essem, præter exspectationem repressam.* Sic est enim. Continui me, quum quia ab omnibus passim coniuratum adversus libertatem hoc tempore video, tum vero, quia seueriorem reprehensionem non ferebat iocus. STROMERVM *Medicum*, recte doles, non contigisse tibi hoc in transitu ho-

spitem:

ſpitem: *bonus eſt, iucundus & dexter.* quem virum qui amat, is ſe valde amari a me ſciat. Accepi epiſtolas *Nouaquilaris*. vbi riſum mouiſti mihi, quando te *blæſum* fingis, in quadam dictione *r* litteram omittens. De illo, quem vt fugeres, ſuaſi, nihil te moror. ἐκεῖνος μέν ἐςιν ἐκεῖνος. ego autem optimo animo feci, vt te præmonerem, ne quid incautius ei committeres; quem, haud ſcio, an recte noueris. Sed nunc ad ea, quæ velle te ſcire ſuſpicor. *Dimiſſum eſt hic Concilium:* quod an aliquid hominum exſpectatione dignum pepererit, ignoro. quamquam haud penitus ignoro. *Nihil* enim *peperit. Legatus Pontificis, hians lupus diſcedit, nihil a Germanis pecuniæ referens.* quod non tam improbo, quam iraſcor, de *bello Turcico nemini curam* eſſe. Atque igitur, ita me ſalus ſeruet, vt velim *ad ipſum Germaniæ limen pulſare nos Turcas:* quo iſti excitentur aliquando *cunctatores.*

De

De *mea valetudine* hoc accipe. *Præsentissima est a ligno medicina;* quod adhuc dubitamus, quo nomine appellandum sit: *Hebeno* in multis simile est, in quibusdam *Buxo.* Non Hebenus tamen est, vnum hoc scimus. Ipse miris modis conualesco, gratiæ Christo primum, deinde *Fucheris,* aut quiqui sunt, quibus perferentibus salutarem contra *pestilentem,* & tot iam annos *conclamatum* a medicis *morbum,* medelam accepimus. Maxima cibi, potus, ac omnium eorum, quæ corpus non delectant modo, sed fouent etiam ac nutriunt, *abstinentia, curationem* hanc *experimur.* Præterea vitatio aeris tanta est, vt rimæ omnes occludantur cubiculi eius, in quod demittitur quis. Totum iam mensem *abstemius* sum; cuius ad vmbilicum, in dies singulos dimidium pulli gallinacei prandium fuit, cœna nulla fuit. post largius accessit, in cœnam reliquum dimidium. panis in diem, qui

vncias quinque non excedat, apponitur: & absque ſale hoc quicquid eſt, & quam exiguum eſt, edo, nec alio, præter illud *ligni decoctum* in potu liquore vtor. quum tibi interim ſatis attenuari non videar, quia *ἀπέχεσθαι τῶν ἀφροδισίων* horteris; quem ſi videas vt *palleam*, vt *macer*, & *exſuccus* ſim, nihil tale ſuſpiceris. De morbo videlicet non magnopere curandum poſthac, *εἰ τἆλλά μοι κατὰ νοῦν γενήσοιντο*. Ad quod bene mihi precaris; quod gaudeo & exſulto. quamdam meam enim *gloriam duco, abs te tali tantoque viro amari. Inuiſunt me viri heic clari* ac *nobiles* multi, inter quos eſt VLRICHVS COMES DE HELFENSTEYN, *non tam generis antiquitate, quam litterarum peritia illuſtris.* & IACOBVS DE BANNISIIS, *vir inprimis doctus ac eloquens:* quo de illud ſentire conſueui, quod de *Neſtore Agamemnon.* opto enim, vt *decem tales habeat Cæſar conſultores.* quod ſi a Chriſto optimo

mo maximo impetrem, nihil magnopere ſollicitus fuero, quomodo *optimum in ſtatum redigatur Germania.* Solebant præterea accedere me complures, antequam ſolueretur Conventus eorum, qui in Principum aulis verſantur. Multum etiam mecum eſt IACOBVS SPIEGEL, *homo aliis gratus, mihi valde iucundus etiam & ſuauis.* Item CHVNRADVS PEVTINGER: quocum vetus mihi iam, vt noſti, conſuetudo eſt. quamquam hunc mihi negotia, quibus obruitur, *homo* alioqui *ſtudioſorum omnium, ac noſtri plurimum generis obſeruantiſſimus,* eripiunt ac extrahunt. *Hoſpitio* fruor honorati viri, *GEORGII GROS Canonici,* in cuius me domum abſentis induxit neceſſarius meus *IOANNES DE VVIRSPERGK,* & ipſe hic *Canonicus* ac *officialis,* tunc, quum ſua domus capax hoſpitis non eſſet, quum me ipſe amet vt qui plurimum, idque ob commendata illi primum ſtudia

mea ab *ANDREA* & *IACOBO FVCHS* *optimis ac clarissimis viris:* deinde quod anno proximo vna cum *GEORGIO DE STREYTBERGK Equite* & *Iureconsulto* ex Italia veniens, casu in illius domum diuerteram; quod, non credis, quam illi gratum acciderit. Quare adhuc singulariter colit & amplectitur: quod ex animo fieri ab illo, vel idcirco mihi facile persuadeo, quod vt *a iactatione, & illis vulgo magnifice obuoluentibus se fumis abhorret,* ita *re ipsa amicum se ostendit;* frequens mihi in hoc *valetudinario* adfuit, etiam tunc, quum ob morbi fœditatem spurcissime fœterem. Nam & aliquot sæpe horas adsedit, miscendo iucundas de more fabulas, & necessaria omnia vt affatim suppeterent, optima diligentia prouidit. Quo nomine gratum mihi facies, si huc scribens aliquando, litteris hominem salutaueris. *Amat omnes bonos, litteratos inprimis:* multisque in Italiam mi-

misit, quum reliqua mea opuscula, tum *musteum illum adhuc & intempestiuum Dialogum*. Scilicet hunc tibi commendo, vt tu eum commendes tuis, hoc est, *Musis & litteris*. Præterea ventitare ad me solent, *AVGVSTENSIS EGIDIVS REMVS*, quocum *Papiæ* olim studui, tunc, quum vno sub Magistro Græcarum litterarum studio initiaremur: & *Italici generis TREBATIVS VICENTINVS, homo Græce & Latine egregie eruditus*, & cui illud solum desit, quod *ab eruditione inflatus non sit: ac IOANNES FOENISECA, reconditarum artium & secretioris Philosophiæ doctrinæ eximius*. Fama defertur huc, *nouum instrumentum ab Erasmo iterum esse reuisum, ac interpolatum denuo*, & alia quædam *noua illius opuscula* prodiisse in lucem. Quod miror, tam sero adferri huc, quæ in litteris noua sunt. *Iulium Pollucem, Hesychium*, & alios libros abs te missos accepi. Vbi tuam

in meis rebus diligentiam perſpexi. Quum hæc ſcriberem, altera mihi tua Epiſtola reddita eſt, in qua percontaris de *Volba fluuio*, quem ſic vocat *auctor libelli de duabus Sarmatiis inſcripti.* quum enim ſcribat ille, *maximum* eſſe hunc *fluuium, multo etiam, quam Tanaim, maiorem & immenſum Aſiæ ſpatium obire, deinde in Euxinum effundi,* ſcire vis, quem hunc eſſe ex illis, quos antiqui commemorant, ſuſpicari liceat. Mihi nuper legenti hunc libellum, eadem obiecta dubitatio eſt. quod quum anxie magis, quam pro re, inquirerem, peropportune accidit, notus mihi vt fieret *clarus Eques,* SIGEMVNDVS DE HERBERSTEYN, *Cæſari a conſiliis.* Nam is hieme proxima Cæſaris *ad Moſcorum Principem orator* fuit, & magnam *Scythiæ* illius partem peragravit, ac in ipſam vſque Aſiam Barbaricum peruagatus eſt. Is me tunc docuit, quod ante coniiciebam, non ad-

adfirmabam, quem *Volham* Moſci, apud quos oritur, vocant, eum eſſe, qui apud *Ptolomæum Rha* legitur. ſed auctorem Sarmaticæ Coſmographiæ in hoc lapſum, quod non in *Euxinum*, ſed *in Caſpium pelagus defertur Rha*: ſeque *Budæ* apud Vngaros in *bibliotheca Matthiæ Regis Græce ac vetuſtis admodum characteribus conſcriptam Ptolomæi Geographiam* vidiſſe, in qua non Ῥᾶ, vt interpres vertit, ſed Ῥᾶς ποταμὸς legatur. Idem *Sigemundus* miræ in illius Sarmatæ libello rei fidem mihi fecit, & iuxta perſuaſit, *non eſſe Ryphæos*, *non eſſe Hyperboreos montes*. quod ob id facile mihi accidit, quod *Moſcorum idioma*, cui *conuenit plurimum ea lingua, quam Illyrici & quidam in Carnis*, cuias ille eſt, *loquuntur*, callet Sigemundus: ac rem, vt ſtudioſe perquiſiuit, ita, linguæ commercio fretus, diſcere facile potuit, & falli difficulter potuit; præſertim multos diuerſis in locis quum ſuper hac re quæſitos habuerit,

ac nullas, plurimorum inter ſe collatas, diſcrepare confeſſiones inuenerit. Quo accedit illud, quod quum ipſe *Tanais fontes* circuiuerit, ac ad *Volbam* ipſum acceſſerit, *nullos* tamen *montes vidit, nec* in *milliaribus* iuxta *ducentis* Germanicis, circumcircum facta inquiſitione, *vllos eſſe audiuit.* quum hoc *Moſcos*, ſi vſpiam aliqui eſſent, latere non poſſet, vt qui latiſſime diuagantur, ac breui tempore maxima ſtatim itinera perficiunt, & ita *amplum* ſit *Moſco Imperium*, vt maximam intra hoc illorum montium partem concludi oportuerit. Certe iureiurando adfirmat, in *regia Moſci*, vbi multa comperta in commentarios digeſſit, nihil ſciri, ſed omnes dicere, *friuola eſſe, & conficta, quæ his de montibus & opinentur homines, & prodiderint veteres.* Omnes enim *illas regiones* eſſe *planas*, neque vſquam montes occurrere, quantumcunque late in Septemtrionem quis exſpatietur:

nisi

nisi, quos ipse quoque vidit, *humiles quosdam colliculos*, in montium numero ponere quis velit. Quod me audientem, attonitum prope reddidit: *rem adeo hominum opinioni infixam, adeo præclarissimorum virorum litteris decantatam, in fabulas abire, in nugas, & nullam penitus esse, aut si fuerit desiisse.* Tu, cui vacat, vtpote ab aula libero, a negotiis soluto, aceruos librorum inuade, & excute, ac illos nobis *Ryphæos*, illos *Hyperboreos montes inquire.* Accessit me heri, *Basilea veniens*, non visus ante, OECOLAMPADIVS, *dentatus Theologus: cuius dentibus, trium linguarum scripturas auidius ruminantibus, edentuli illi inuident.* dixit, *Erasmum ad Brabantinos suos rediisse. meum Neminem in officina Frobeniana denuo excusum typis.* O peruerse officiosos calcographos istos, temerarium genus hominum! Iam *Gallias* peruagabuntur, & *vlcerosis* illis *Theologis*, ac

ad omnem facile contactum offendi solitis, obiicientur *nugæ*. Male consultum erit Hutteno. heu mihi! perii, auctum est! iam in articulos istud mihi redit negotium. tanti constiterit hoc nugari! consule in medium Bilibalde. Amico opus est, consultore opus. *Eckius* proscidit *Carlstadium*, *ciuem meum, probum Theologum*. eidem cum LVTHERO bellum est: *Luthero* cum multis. *En viros Theologos, impactis mutuo genuinis se concerpentes. Multa Erasmum monet Eckius*. ad quod ille, quid faceret aliud enim? *Erasmum præstat*. Nudius tertius aluum mihi duxerunt Medici. *is curationi huic colophon imponitur*. postea enim aer admittitur: & vinum, sed nonnisi valde dilutum, sumitur; largiusque prandium apponitur. quamquam aliquantum adhuc intra edendi auiditatis terminos continemur; ne quis vberius se pascat. *Oecolampadius* salutare te iussit. credo, *concio-*

na-

natorem aget hic. GVILIELMVS BVDAEVS, *nobilium in Gallia doctissimus, doctorum nobilissimus, Adnotationes in Pandectas* prosequitur. Exsilui gaudio, re intellecta. Ecce tibi *duos* eadem tempestate *Hercules, immanissimarum profligatores pestium, καὶ, ὡς εἰπεῖν, τρὶς ἀλεξικάκους, Budaeum & Erasmum:* inter quos, omnia prius commisero, *comparationem* quam moliri ausus fuero. Debellauit ille *Accursii in Gallia posteritatem, & omne* radicitus exstirpauit *Bartolistarum genus:* hic *Theologiae fumum obiicientes barbaros*, facto impetu, oppressit: & *sacris litteris diem reddidit, lucem inuexit.* Adde FABRVM, *qui Philosophiam exquisite fabrefecit, illustrato Aristotele.* Adde COPVM & RVELLIVM: huius *Dioscorides*, illius *Galenus* est. *o saeculum! o litterae! iuuat viuere:* etsi *quiescere nondum iuuat,* Bilibalde! *vigent studia, florent ingenia!* Heus tu, *accipe laqueum barbaries,*

ries, exſilium proſpice! Atque hactenus profluxerit *Epiſtolæ* huius *volumen.* quod idcirco in longius excreuit, quod neſcis, quantum cupiam, abs te longiſſimas accipere litteras. quod fac, vt adſequar: tuosque meo nomine ſaluta ciues; eos primum, quibuscum notitia mihi intercedit, deinde πάντας ὅσȣς ἄξιον. ac ipſe vale, &, vt mereris, vale: mereris autem optime. Auguſtæ, VIII Calend. Novembr. Anno CIↃ IↃ XVIII.


τέλος.

IACO-

IACOBI BVRCKHARD
DE
VLR. DE HVTTEN
OMNIBVS
BELLI AC TOGAE
INGENII ET STVDIORVM
DOTIBVS
EMINENTISSIMI
INTER GERMANOS
SAECVLI SVI
EQVITIS
FATIS AC MERITIS
COMMENTARIVS.

M. T. Cicero
Orat. pro Publ. Sextio Cap. IX.

Omnes boni semper nobilitati fauerunt; & quia vtile est reipubl. nobiles homines esse dignos Maioribus suis, & quia valet apud eos clarorum hominum & bene de republ. meritorum memoria, etiam mortuorum.



DE VLRICHI HVTTENI VITA COMMENTARIVS.



LRICHVS DE HVTTEN ab origine *antiquissimæ Franconicæ stirpis anno CIↃ CCCCLXXXVIII* generatus (a), vt a Maioribus acceptam equestrem digni-

(a) in gentilitia arce *Steckelbergk*, quam modo *speculam*, modo *propugnaculum Huttenicum* appellare consueuerat, *XX*, vel *XXI*, vt alii adfirmant, *Aprilis die*. Quod *natale* suum *solum* hisce versibus, qui initio *Epigrammatum* ipsius inueniuntur, descripsit Huttenus:

Francia cui patria est, gelidam porrecta sub Arcton,
Hercyniumque nemus; qua vitifer exit in amnem
Mogus, Rhene, tuum; qua Fagina silua feroces
Francorum populos vicino dirimit Hesso.

gnitatem cum laude obtineret, & *belli* & *pacis artibus* Romano more inseruire prudenter in omni vita sua instituit. qua cura id adsecutus est, vt dignissimus hodieque censeatur, qui in *Virorum Militia æque ac Scriptis illustrium* numerum merito suo referatur (b). Quamquam enim esse aliquid existimauit, se *inter Francos natum educatumque esse*, qui multis continuis annis *in disciplina militari principatum* tum tenuerint, & quorum ritus reliqui Germani sint imitati (c): & quamquam compluribus istis *Maiorum* suorum *imaginibus* magnopere gauisus est; quandoquidem familia ortus fuerat, quæ, non minima Francorum nationis pars, iam tum *annis retro sexcentis* sua *decora*, sua *de* repu-

(b) in eorum numerum relatus omnino etiam est a celeb. *Menckenio* in Dissert. de *Viris Militia æque ac Scriptis illustrib.* p. 45, seq. quæ *Lipsf.* prod. an. 1708.

(c) gloriatur talia in Oratione II in Vlricum Wirtemberg. Duc. L. 1, b. in rei documentum *adagium* proferens, quod iam tum, quoties aut in *equestri apparatu*, aut *armorum habitu* ab *antiquo* aliquid repetitum fuerit, vsurpatum scribit; dum id *Vetus Francum* sit appellatum. Aliud porro in ore hominum vsurpatum tum esse, ait, diuerbium, *Omnis Franco nobilis.*

republica merita oſtentare poterat; & quæ ipſius Vlrichi ætate *triginta* producere poterat *Equites*, quorum nullus non Cæſari *Maximiliano* militauerat (d). tamen præclare ſimul cognitum habuit, non tam referre, *vnde quis natus eſſet*, quam *qui exſiſteret*: explorate præterea ſtatuit, *virtute*, ſola iſta & vnica nobilitate, *decere, non ſanguine, vti.* Quando etiam a puero perſuaſiſſimum ſibi habuit, *eiusmodi ſtatuas relinquendas eſſe, quæ virtutis potius huius, quam quæ ſtaturæ corporis forent monimenta; litteras*, præſtantiſſimas vitæ ac ipſius virtutis magiſtras, ſumma cura ac diligentia numquam non complexus eſt. Etenim ſingulari in eo vſus Huttenus eſt felicitate, quod pueritia ipſius in tempus incidit, quo doctrinarum ſtudia a contemptu vindicari, lætisque vbique euehi cœperant auſpiciis. Quod id in *Germania* etiam contigerit, ipſi Hutteno quammaxime a poſteritate deberi,

E ex

(d) vid. Orat. cit. it. Orat. III in eumd. Ducem, N. 1, b. & Parens *Vlrichus* Cæſari contra *Turcos* militauerat. de antiquiſſimæ huius ac illuſtris Familiæ *Genealogia* conſulatur *Lexicon Hiſtoricum Germ.* quod prodiit cum præfatione ſumme reuerendi *Buddei.*

ex ſequentibus patefiet, ſpero. illorum certe, apparebit, exſtitiſſe Huttenum numero, qui *Germaniæ nobilitatem ad ſtudia diligenter adhortatus*, oſtenderit, ſi quem hominum ordinem hæc maxime decerent, *nobilitatem omnino ea decere*; quippe quæ, quo reliquis ordinibus præſtantior videretur, eo & maiori *virtute* ac *ſcientia* iis deberet antecellere. id quod ſatis dilucide etiam in præmiſſa ad *Pirckheimerum* Epiſtola edocuit.

Talia quum ab ineunte pueritia ſtatuerit Huttenus, egregia ac diuina plane indole præditus, quid mirum, tam fortem, tam animoſum, tam litteratum euaſiſſe eum Equitem, vt Germania pauciſſimos forſan ei pares, ſuperiorem vero habuerit adhuc neminem? XI annorum puer in *monaſterium Fuldenſe*, quo ſuperioribus temporibus in cuncta Germania celebrius nullum fuit, *Rabani* in primis & *Strabi* doctiſſimorum, vt tum erant tempora, *Abbatum* claritate olim illuſtratum (e), *diſciplinæ magis*

(e) vid. *Io. Launoii* de *Scholis celebrioribus ſeu a Carolo M. ſeu poſt eumdem Carolum per Occidentem inſtauratis* Lib. *Pariſ.* an. 1672. 8. ed. cap. VII.

magis quam religionis caussa ab suis missus est (f). In *hanc* quum *splendida oblata conditione traducturus esset monasterii Abbas* Huttenum, *Eitelwolfus de Lapide, Eques Sueuus,* cuius infra verbosior mentio iniicienda erit, id impediuit; Abbati sedulo id agenti obiiciens, *Tune hoc ingenium perderes* (g)? Fuldanum contubernium quum eruditissimi *Croti Rubiani*, quo cum a primis vsque annis consuetudo Hutteno singularis fuit, hortatu reliquisset, *Coloniam Agrippinam* ad optimarum artium & litterarum studia percolenda profectum eum esse, legimus (h). vnde barbaries ab *Herm. Buschio, Io. Caesario* & aliis, *Hermanni Nuenarii, Comitis,* summa aetatis istius Maecenatis, auspiciis, vix coepta erat exterminari. Quae tamen contra veram ac liberalem eruditionem tam pertinaciter adhuc repugnauerat, vt a *Coloniensibus Theologistis subtilis* etiamnum

(f) vt *Ioach. Camerarius* adfirmat in *Vita Phil. Melanchthonis* p. m. 93.

(g) ipse Huttenus id narrat in epist. ad *Iac. Fuchs, Bamberg. & Herbipol. Ecclesiar. Canonicum*, Orationibus in Wirtemberg. D. praef.

(h) in *Camerarii Vita Melanchthonis* c. l.

Scotus iactaretur, *Seraphicus Bonauentura, bis sanctus Thomas, vnice magnus Albertus,* ac *irrefragabiles Doctores alii:* isti *Huttenum* & reliquos suæ disciplinæ alumnos *syllogismis fulminare, ac si quando prouocarint, alacriter congredi, opponere, adsumere, respondere, conclusiones sustinere bis triginta nonnumquam, docere perseuerabant* (i). Quæ videlicet vnica cura per bene multa sæcula adhuc fuerat, in quam *Scholastici* isti *doctores* incumbentes, in tot adolescentibus *meliorem ingenii spem atque frugem in tenerioribus annis, velut in herba enecauerant* (k). At Huttenus inter illos tum erat, *quos æquus amarat Iupiter,* & quos præclara indoles atque erectum ingenium per medios vepres ac dumeta ad planiorem ducebat viam: siquidem mature intelligebat, *nihil prodesse scholasticas istas, tot viis, tam diuersis inter se opinionibus concinnatas disceptationes:* per quas *prodigiosos* istos *titulos* adhuc adfectassent doctorculi. Hi enim,

(i) edocet nos ea Huttenus in epistola ad *Crotum Rubianum Nemini* præf. pag. 8. *edit. Leydens.*

(k) grauiter de ista calamitate, ex qua eruditio tanta accepit detrimenta, conquestus sua ætate est *Rod. Agricola* in ep. ad *Iacob. Barbirianum*, pag. 194. Op. P. II.

enim, *dum antiquos istos & recte doctos auctores neglexerant, in eiusmodi nugamentis versati, & in scripturarum sordibus, non secus ac in luto scarabaeus, delectati* videbantur Hutteno (l).

Colonia circa *annum VI* saeculi *XVI* in *academiam*, quam *Ioachimus Elector Brandenb.* laudati paullo ante *Eitelwolfi de Lapide* consilio *Francofurti ad Viadrum* ipso isto tempore instituerat, commigrauit noster: vbi doctoribus industriam suam tantopere statim probabat, vt dignus ab iis diiudicaretur, qui *duodeuicesimo aetatis anno liberalium artium magistri* condecoraretur *insignibus*; idque omnium primo, qui in academia ista celebratus est, promotionis actu (m). *Anno* eiusdem saeculi *IX in Italia versatum esse* Huttenum, *Maximiliani Imperatoris castra secutum*, ex *epigrammate* hoc, quod *de se in Patauina obsidione* confecit, colligere posse ego mihi videor (n):

(l) vid. cit. Hutteni praefat. *Nemini praem.* p. 21.

(m) *Melch. Adamus* id confirmat *Vit. Iurecons.* p. 13.

(n) difficili certe obsidione commemorato anno clausit *Patauium* Imperator: vid. *Petri Bembi Historia Veneta* lib. IX, p. m. 370. & *Guicciardini Histor.* lib. VIII, p. m. 789.

Erueram a castris ad clausam Antenoris vrbem,
Continuo flamma missilibusque petor,
Certe equidem fateor, timui: nec vt ante mouebam
Inuidiam lingua, sed bona verba dedi,
Parcite, qui Patauii muros arcemque tenetis,
In me vulnifica mittere tela manu,
Parcite, me, Veneti, ferro disperdere & igni,
Ne de tot pessum millibus vnus eam.
Non ea fortuna est, vt nunc ego vique manuque
Horrida commoti Cæsaris arma sequar.
Huc me sola trahit vestri admiratio regni,
Noscere vos cupio, perdere non cupio.
Vt videam, veni, non veni euertere bello
Altini sedes, Euganeasque domos.
Alter ab Arctoa vobis furor imminet Alpe,
Germanum peditem ducit Iberus eques.
Has ruite in vires, nam quæ tum gloria parta est,
Si de tot pessum millibus vnus eam?
Nulla hostem mouere preces, mihi terga relapso
Heu quam difficili consuluere fuga!

Vt

Vt cæso me nullus honor fuit, haud ita vobis
Pulchrum est me claudos eripuisse pedes (o).
Dicebam & fessus media inter millia cursu,
Tutus in effosso delitui tumulo.

Penuria viatici militare se coactum esse, vltro *Pirckheimero*, vt cognouimus, professus est. Quin tamen mox, redux in *Germaniam* factus, cum Musis in gratiam redierit Huttenus, *egregia exquisitæ* eius *doctrinæ*, quæ paullo post foras dedit, *experimenta* dubitare neminem sinunt.

(o) de isto *pedum* suorum *morbo* hoc etiam conquestus est *epigrammate:*

Euganeas video turres, Antenoris vrbem,
Speratum fractis effugium Venetis.
Telorum volat omne genus, defendere muros
Illi, nos contra tendimus eruere.
Nos cœlum & tellus, illos sua mœnia seruant.
Spes nobis, illis propositus timor est.
Reddidit inclusos sua desperatio fortes,
Quumque fuga vlterior nulla sit, arma mouent.
Si quis in hoc numero est, qui possit plurima, ciues,
Hunc vt seruemus, me perimant Veneti.
Iam pede pertæsum est, claudoque insistere talo.
Qui valet vt viuat, me perimant Veneti.

Verſificatoria præſertim *Arte*, quam carmine heroico *Wittenbergæ* conſcriptam anno CIↃ IↃ XI emiſit, mature inclaruit (p). tanti enim ab ipſis exteris ea eſt æſtimata, vt *Robertus Stephanus* typis ſuis exſcriptam denuo emiſerit (q). Quo ipſo carmine magis meruit Huttenus, vt inter *præcoces* referatur *eruditos*, quam illo, quod triennio ferme poſt edidit, *Vir bonus* inſcriptum, & quod *Melch. Adamus primum indolis ſpecimen* cenſuiſſe videtur,

(p) in calce libelli, in form. 4, excuſi, hæc verba leguntur: *Apud Phacchum hoſpitem VVittenpurgenſem idibus Februarii abſolutum ſinceriter citra inuidiam. Exaratum induſtria officioſiſſimi Viri VVolffgangi Monacenſis Lipſæ feliciter.*

(q) *Pariſiis* anno 1528, 8. Prodiit etiam cum Hutteni lucubratiuncula *Nemo* inſcr. & aliis *Norimbergæ* an. 1531, 8. item cum eiusdem *Oper. Poeticis*, coniunctim editis, de quibus infra. *Lipſiæ* etiam an. 1518 prodiiſſe *Carmen iſtud*, ſ. *Verſific. Artem, Stichologiæ compendioſæ* tit. coniicio: ipſius enim ſic inſcripti libelli, quem non ita pridem in Catalogo quodam librorum notaui, inſpiciendi copia adhuc facta mihi non eſt. an. 1551 vna cum *Iod. VVillichii* libellis aliquot ex typographia *Oporini* editum eſſe idem Hutteni Carmen, ex *Bultellianæ Bibliothecæ* Catalogo, p. 346, didici.

tur, quod diuulgatum ſit ab auctore (r). Verſificatoriam iſtam, ſiue, vt prima, & aliæ quædam hanc inſecutæ editiones, præferunt, *Verſificandi* Artem *Ioanni* & *Alexandro de Oſthen, Pomeranis Equitibus*, eleganter ſcripta *Epiſtola* nuncupauit. quæ quum nulli, præter *primam*, quantum

E 5 ego

(r) *Adamum* cl. *Balius* in Dictionario ſuo ſecutus eſt, vbi Huttenum *non ante ætatis annum XXV conſilium de Verſibus faciendis edendisque cepiſſe*, contra *Morerium* exiſtimat; Carmen iſtud, *Vir bonus* inſcriptum, & ab *Adamo* indicatum, *primum tanti ingenii fœtum* cum hoc ſtatuens: quod in *Operib. Poeticis* ita inſignitum eſt: *Vlr. de Hutten, ex Equeſtri ordine Adoleſcentis, Carmen emunctiſſimum, mores hominum admodum iucunde complectens.* Vel ſic tamen Huttenum ex *præcocium* numero excludendum negauit cl. *Io. Chriſtoph VVolfius* in Orat. de *Præcocibus Eruditis*, p. 20. At, ſi *Epigrammata* iſta paullo ante a me allata reputauerimus, *Morerium*, quando *Huttenum duodeuiceſimo ætatis ſuæ anno carmina edere cœpiſſe*, ſtatuit, vix vllius erroris inſimulari poſſe, *Adamum* potius atque *Balium* ex ipſo emendandos eſſe, reperiemus. Quid quæris? *Eob. Heſſus* in *Epicedio*, quod Hutteno confecit, p. 298 Op. hunc ita loquentem inducit:

Paruus adhuc primaque notans lanugine malas,
Muſarum certo numine plenus eram.
Talia concinui iuuenili carmine plectro,
Qualia permulti non potuere ſenes.

ego ſcio, adiecta ſit *editioni*, *boni*que praeterea *plena* ſit *conſilii*, non poſſum, quin integram inſeram; vt cognoſcat ex ea Lector, *quibus doctrinis* & ipſe Huttenus *adoleſcentiam impertiuerit* ſuam, & vt alii ſuam quoque impertirent, ſuaſerit.

Ioanni & Alexandro de Oſthen
ex Equeſtri familia
Adoleſcentibus ſtudioſiſſimis
Salutem D.
Vlrichus Huttenus.

Ego numquam in vobis, optimi Iuuenes, neque generis antiquitatem admiratus ſum; qua eſtis ſatis praeſtantes: neque diuitias; quibus eſtis florentiſſimi: ſed quod rariſſime in noſtro ordine *contingit*, in bonas artes ſtudium *incredibile: & ingenia ad hoc ſupra modum acria. Quod quum mihi iam pridem in vobis perſpectum eſſet, & ego iucundiſſima veſtra conſuetudine iſtuc inuitarer: volui aliquo interea vos honore proſequi; quoad liceret vobis per vos ipſos claris fieri. Quod ego procul dubio futurum cenſeo. Nam vos profecto ex hoc albo eſtis: id eſt eorum numero, qui ſibi famam & decus nominis apud poſteritatem comparare poſſunt.*

Vnde

Vnde eos longe sua fallet opinio, qui vos contemptui habent, propterea, quod me meique similes studiosissime sectamini. Dum enim se ad altiora (vt ipsi aiunt) studia conferunt, ea negligunt, sine quibus esse studiosi minime possunt. Sed venentur illi per mare, piscentur per aerem, volent sine pennis: vos (vt decretum est) iis litteris operam date, sine quibus nihil percipi potest: vt tandem in Iure Ciuili, & Pontificio (eo namque tenditis) edocti, vobis emolumento, & patriæ atque amicis honori esse possitis. Hoc autem Carmen Scholasticum *raptim (vt volebatis) a me compositum, eo animo accipite, quo ego illud offero; & muneris paruitatem donantis beneuolentia rependite. Neque per ætatem erubui hæc ad vos scribere: estis namque* tam noui lectores, quam ego Poeta. *Valete* & Trebelium Notianum, *vestrum optimum præceptorem, amate, meque vel diligite. Ex Wittemburgo pridie Kalendas Ianuarii Nouo ineunte Anno post millesimum & quingentesimum vndecimo* (s).

Quod

(s) Iuuentutem ipsius *Carminis* principio ita allocutus est Huttenus:

Quis modus, & quæ sint seruandæ in carmine leges,
Et quo quæque suum distendat syllaba tempus,

Lib.

Quod his nobili genere natis Adolescentibus epistola hac suasit Huttenus, & quod ipse a paruulo faciendum sibi decreuerat, id singulis, qui ingenuo essent animo ac recte libero, agendum censuit (t); vt *omnia* videlicet *mallent, quam vulgi inseruire iudicio:* licet ob id, quod *boni esse studerent*, eiusdem vulgi opinione, *nihil essent*, ac propterea, quod *recte aliquid scire cuperent, nihil scirent*. Quid? quod *in grauem* satis ipsius *parentis sui Vlrichi iram incurrerat* Huttenus adolescens ex eo, quod *liberalioribus atque ingenuis studium suum deuouerat doctrinis:* quæ parenti, vt tum captus hominum erat, *meræ* videbantur *nugæ.* Enimuero licet non ægre ferret parens

Littera quas vires habeat, quoque ordine mutet,
Omnia discutiam paucis, huc, læta iuuentus,
Verte animi votum, sitibundasque imbue fauces.
Non quia præterea scriptum nihil utile dicam,
Sed quia munus habes, animo gratante profectum.
Improbet ista licet, cui mentem insana libido
Carpendi studio vexat, mihi fama trahatur
Inque dies mihi perstet honos, mihi gloria surgat.
Qui velit, inuideat, seque hoc mœrore fatiget.

(t) in præfat. *Nemini* præm. p. 27.

parens, lætaretur potius, quod filius *Fuldano monasterio* excessisset, in quo eum tot annos contriuisse dolebat; præsertim quum præsenserat, numquam *bonum cœnobitam* præstaturum se fuisse natum: & licet laudibus, quibus hunc ab omnibus exornari audiebat, mirum in modum pasceretur; *omnes* enim *amare filium, omnes plurimum ei tribuere, omnes magnam in eum spem ponere*, cognoscebat. sed tamen & *filium studiumque*, cui dare hic se perseverabat, ita aperte *damnabat*, vt vix *vnius assis* eum haberet. Quum vero etiam *detonsos patres* filii desiderium vix ferre animaduerteret, circumspecto sermone satisfacere iis simul contendebat, iureiurando subinde adfirmans, *gnatum suum vltro in cucullum reuersurum* (tt): quod si autem

(tt) colligere quidem forsitan quis hinc posset, Huttenum *sacros initio ordines amplexatum, desertorem horum deinceps exstitisse*: id quod *Varillas* in *Histor. Haeres.* probare contendit cuius adfirmatio non ita falsa *cl. Baelio* visa est: verum præterquam quod intelleximus, *Eitelw. de Lapide liberale Hutteni ingenium mature a seruitute vindicasse;* ipse Huttenus in *Excusatione* quadam, patrio sermone conscripta, cuius alibi mentio a me fiet, docuit, *tantum*

tem obtemperaturus non esset, *paternum se ei animum renuntiaturum*, spondebat. prorsus alia interea spectabat, id moliens, vt *Vlrichum suum extolleret*; quippe qui *forensem Rabulam, Huttorum genti profuturum, peruerso maleque præsidibus patribus audituro monacho præoptabat*. Hæc *Crotus Rubianus*, cuius potissimum hortatu Fuldanum contubernium reliquisse Vlrichum, cognouimus, pro singulari, quo hunc prosequebatur, amore, per epistolam amanter ad ipsum scriptam enuntiauit; callide prius parentis voluntatem expiscatus (u). Qua epistola amice simul eum monuit, vt cum patre in gratiam rediret, huiusque consilium secreto, vel coram vel per amicos, porro introspiceret: quod si conditio a parente lata displicuerit, *totum ipsi patere mundum*. quodlibet enim facere per se licere, confirmabat Rubianus, si consilium eius-

tantum absuisse, vt, postquam Monasticam vitam perspexerit, deuouere se huic potuerit, vt se in alio vitæ genere facilius Deo ac hominibus probare se posse, persuasum sibi habuerit.

(u) reperitur epistola ista *Monumentorum Pietatis & Litterar.* Francof. an. 1701, 4, editor. P. II, pag. 3. scripta est III *Non. Febr. an.* 1511.

eiusmodi imprudens ei videretur, au-
ctorem tamen porro se ei tunc esse, vt scriberet, quod *Pomponius Lætus* in patriam reuocatus *Roma* rescripserit: qui non probans suorum voluntatem, sic responderit: *Pomponius Lætus propinquis & amicis salutem. Quod petitis fieri non potest. Valete.* Quam quidem *a magno animo profectam vocem* Hutteno, *similis studii iuueni*, neutiquam spernendam censebat *Rubianus*, vir litterarum e squalore tum emergentium, quarum grauissimum vindicem futurum Huttenum præuidebat, longe cupidissimus. Nec vero spreuisse Huttenum istam Pomp. Læti vocem, perspicuum deinceps faciam. nam *perpetuo ingenii sui indoli in colendis litteris obsecutum eum esse*, intelligemus; animum fortasse suum *Fr. Petrarchæ* etiam exemplo erigentem: quem *eamdem a parente suo fortunam passum esse*, accepimus. Is enim, quum ad *eloquentiæ atque poeticæ artis studia* persequenda *natura* itidem ferretur, celebraretur que iam idcirco laude haud mediocri: tantum aberat, vt hæc patri grata esset, vt excandescens ira *Bononiam*, vbi filius studiorum caussa commorabatur,

tur, peteret, dirisque hoc increpato vocibus, diceret: *Quid tibi cum Cicerone, cum Virgilio, cum scriptoribus historiarum & poetis omnibus, quum ad consequendas opes non valeant, sed fabellæ sint atque somnia? Iuri, iuri ciuili studeas velim, hoc amplissimos tibi honores pariet, hoc fructus tibi adferret vberrimos.* Accendi tum iussisse patrem ignem, quo *Ciceronis poetarumque libros*, vnicas filii delicias atque amores, cremauerit, pluribus nihil attinet enarrare verbis (x). Ad Huttenum potius reuertendum est.

An hic amicissimi *Rubiani consilium*, secutus, parentis voluntatem coram exquisiuerit, & in gratiam cum eo redierit; cuius velut irati sibi conspectum aliquamdiu fugerat, & *extorris* quasi nusquam stabilem certamque adhuc habuerat habitationem (y); quum *nigricantes*

(x) vid. *Vita Fr. Petrarchæ* per *Hieron. Squarzafichum* scripta, & cum aliis monimentis ad *Petrarchæ vitam* pertinentibus a clarissimo *Ackero*, *Rudolstadii* an. 1711, 8, denuo edita, p. 32.

(y) anno 1511 rumor narrabat parenti, *natum in Brunonis vrbe spoliatum viuere*, postquam diu nesciverant, & parens & amici, quibus terrarum oris is iactaretur. vid. *Rubiani* epistola paullo ante citata.

tes præterea, vt Rubianus eos appellat, *sodales infensos sibi* nouerat, quod amicitiæ ac victus ipsorum repudiauerat consuetudinem, equidem nescio. *Parentis consilium* prodiderat Hutteno suo Rubianus: illum id nempe egisse, indicauerat, vt, si hic redierit *ad Iurisprudentiam sese applicaturus, in Italiam ad forensibus caussis mirabiliter nobilitatum caussidicum quemdam, ex Huttenorum familia oriundum, ablegaretur.* ablegatum eum tum esse, vt credam, multa sunt, quibus inducor; ipsius inprimis Hutteni *epistola* quadam, *ex Italia ad Phachum*, Wittebergæ, ni fallor, commorantem missa (z). Vtrum vero parentis voluntati obtemperaturus noster, *Iurisprudentiæ* totum se dederit *in Italia*, est, quod valde dubito. ingenii potius indoli obsequi eum perseuerasse, infra audiemus, quum de tertia ipsius in Italiam profectione mentio erit facienda: de qua tempus, quo suscepta sit, eo liquidius definiri poterit; quo plures ab eo

F mis-

(z) licet annus, quo data, adscriptus non sit. inveniet eam Lector, vbi *Rubiani* epistolam reperiri, indicaui, *Monumentor.* scil. *Piet. & Litter.* P. II, pag. 9.

missæ tum inde in Germaniam supersunt epistolæ. Ad *alteram profectionem* quod attinet, hanc in *XII* siue *XIII* sæculi *annum* referendam existimo. Singula de reliquo itinera in Italiam, ornatissimum illud ac omnibus ad doctrinas subleuandas subsidiis refertum domicilium, summa voluntate iniisse, ac egregia animi alacritate Alpes transiisse Huttenum, opinor. vnde Patronum suum *Eitelwolfum de Lapide*, ac omnes pæne populares, quorum eruditionem suspexerat adhuc & æmulari studuerat, optimarum artium studiis instructos reuersos esse, non ignorabat. Ea enim regio fuit *Italia, ex qua humanitatis lux pluribus populis orta latius per centum iam circiter annos generis mortalium bono tum fulserat* (a). Verum nec tum, quum Italiam iterum intrasset, secunda admodum vsum esse Huttenum fortuna, ex ista ad *Phachum* data epistola patet (b); *Adhuc Vulcanum*, queritur ea, *æmulor, verum*

(a) ita *Italiam* laudauit *Io. Caselius* ep. ad *Io. Reccium* an. 1605 scr. B. I, a.

(b) eumdem *Phachum* esse puto, in cuius ædibus *Versificandi artem* absoluisse Huttenum, supra cognouimus.

rum aliquanto miserabilius, quam nuper; nescio, an fortunæ hoc potius, quam temeritati meæ adscribam: quod mihi in tenera ætate nullis malis subeundis peperci (c). *Gratulor tamen mihi, quod bonas litteras sequendo, ea, quæ minime quærebam, inuenerim. - - - Libet paullum de me scribere: in vmbilico Mensis Aprilis* Papiam Insubrorum *vrbem intraui: ibi quum ex instituto legibus operam darem, quarto mense, postquam intraueram, a Gallorum militibus, qui armati vrbem aduersus Heluetios tenebant, tres dies integros, quamquam etiam febre laborans, in angustissimo recessu domus obsessus sum, certusque mori hoc mihi Epitaphium feci, & scriptum apposui.*

Qui misere natus miserabile transiit æuum,
Sæpe malum terra, sæpeque passus aqua,
Hic iacet Huttenus, Galli nil tale merenti,
Insontem gladiis eripuere animam.
Si fuit ex fato, vt totos male uiueret annos,
Optatum est, quod tam corruit ille cito.

 Ipse

(c) *pedum morbum*, quo iam tum, quum in *obsidione Patauina* interfuisset, laborauisse Huttenum, antea intelleximus, heic innui, censeo.

Ipse suas coluit per mille pericula Musas,
Et quanti potuit carminis auctor erat (d).

Paullo post, capta ab Heluetiis vrbe, tamquam qui castra Gallorum sequi solitus essem, ipse quoque captus sum, spoliatus & miserabiliter hinc inde pertractus, donec tandem, amissis quibusdam bonis & pecuniis liberatus (e). *Igitur hinc soluens, deserta vrbe omne genus turbis*

(d) Posteriores versus mutati paullulum in libro *Epigrammatum* leguntur, *tribus* praeterea adiectis *distichis*, in hunc modum:

Si fuit hoc fatum vita torquerier omni,
Censendum est, recte procubuisse cito.
Vixi equidem Musis; animum coluique per artes:
Sed reor, irato me studuisse Deo.
Mens erat arma sequi, & Venetum sub Caesare bellum.
Verum alio bello concidi, & hoste alio.
Pauperiem, morbos, spolium, frigusque, famemque,
Vita omni, & quae sunt asperiora, tuli.
Recte actum, cecidi iuuenis miser, & miser exul:
Ne maiora feram, ne videarque meis.

(e) Heluetios an. 1511 *Papiam* ingressos, omnes Gallos atque Germanos, qui pontem non transierant, vel occidisse, vel cepisse, *Guicciardinus* lib. X Histor. p. m. 1041. refert. vnde potissimum colligo, hunc ipsum annum esse, quo Huttenus noster in discrimine isto sit versatus.

bis occupata, ſanguine, fame & peſtilentia infecta, Bononiam *menſe Iulio petii. Bononiam inquam, illud pulcherrimum, doctiſſimorum virorum conuenticulum - - - . Vale & te cura, me nunc Medicus. Vale iterum, XII Cal. Sept. Bononiæ breuiter ex more & familiariter.*

Quum in Italia ageret Huttenus, fuerunt, qui *Epigrammata*, ab ipſo adhuc confecta, inuito eo, & ne ſuſpicante id quidem, diuulgarunt: magnam enim illorum partem olim deſcripſerant. Quod vbi in Germaniam rediens comperit, & Epigrammata hæc ſua in multorum manibus haberi vidit, corrupta illa, & vt raptim quodque ac ipſa adhuc incude feruens collectum fuerat, reviſa ac emendatiora edenda denuo decreuit (f). Quæ vt *Imperatori Maximiliano nuncuparet*, ab iis, qui in aula huius ſtudio ipſius tenebantur, perſuaderi ſibi

(f) primam iſtam *Epigrammatum* editionem, quæ mea opinione an. 1514 lucem adſpexit, non vidi, vidi tantum ea inter *Opera Poetica* coniunctim *Francof.* an. 1538. 8, edita; inter quæ primum locum occupant, hiſce in fine adiectis verbis:

Ad Cæſarem Imperatorem Maximilianum Epigrammatum finis.

bi passus est; vtpote qui efflagitauerant aliquid ab ipso, quod *cum Cæsaris laude ederetur;* sic enim fore, vt huic innotesceret. Ipsum Cæsarem sic in dedicatione, præmissis ac subiectis quibusdam, allocutus est: *Iam alio opere, & magis accurato illo forte, tuis occurrere virtutibus decreui. Interea hæc habe; quæ si non admodum probes, legas tamen, aut non legas etiam, saltem habeas. Sunt Epigrammata varia, diuersis locis ac temporibus in tuas scilicet victorias, aut vt quodque obiectum est, quod vel ipse vidi, quibusdam enim interfui; vel aliorum relatione gestum cognoui. Quam rem, si accuratius paullo retulissem in litteras, contemnere nemo potuit, nunc istam in dubios euentus, & ambigua sorte, aleam iacio, pro te interim vouens, vt diutissime nobis imperes, & incolumis persistas.*

Magnam de ingenio suo opinionem, quam Epigrammatis his, & commemorata inprimis Arte Versificandi atque Carmine Vir bonus inscripto, concitauerat Huttenus, non præclare modo tuebatur, verum vincere etiam videbatur *Panegyrico* illo, quem *in Exceptionem Moguntinam Alberti, Moguntinensis & Mag-*

debur-

deburgensis Ecclesiarum Archiepiscopi, heroico itidem carmine, anno, ni fallor, CIↃ IↃ XIV conscriptum, edidit, *Eitelwolfo de Lapide, Magistro Curiæ & Ciuitatis Moguntinæ Præfecto*, sæpius iam laudato, quo monitore confecerat Carmen, dedicatum. Hoc licet *effusum magis* adfirmet auctor, *quam scriptum*, breui saltem temporis spatio *minusque prospera fortuna* ideo compositum, *vt æqu alium ingenia ad scribendum excitaret: erectiorem* tamen ipsum *in hoc fuisse*, censent eruditi, quam in reliquis suis poematis (g): qui miro con-

(g) vid. *Ol. Borrichius* Differtat. de *Poetis Latinis*, p. 131, n. 158. *Baillet Iugemens de Sauans* T. IV, P. 3, n. M CC LV. add. *Melch. Adamus* c. l. Omnium *prima*, quantum ego quidem scio, *Panegyrici* istius *editio* prodiit *Tubingæ* apud *Thomam Anshelmum Badensem*, mense Februario an. 1515, 4. qui *Operib. Poet.* deinde adiectus est. An. 1533 vna cum *Georg. Sabini Descriptione Reditus Ioachimi II Marchionis Brandenb. depulsis Turcis*, Wittebergæ in 4 editus est, luculenta ista dedicatione omissa: *Sabinus* in præfatione, quam præmisit, de eodem hoc Hutteni *Panegyrico* ita iudicauit: *Videtur autem mihi Huttenus plurimum ingenio valuisse, id quod in hoc Carmine perspici potest. Miro enim consilio in vnius Principis pompa omnes veterum Germanorum*

consilio ac arte *omnes veterum Germanorum, horumque Imperatorum res gestas atque Germaniæ regiones eo complexus*, satis ostenderit, quantum ingenio valuerit. Quando autem æqualium ingenia hoc suo Panegyrico ad scribendum excitaturum se speravit Huttenus, quærens: *Quotusquisque erit, quem visis his non iuuabit statim scribere meliora? & sunt fortasse, qui poterunt, multi: me autem sic vinci non pigebit:* temporum istorum non ita gnarus interrogare forsitan posset: an tum, quum talia scriberet Huttenus, & quum litteræ

rum atque Imperatorum nostrorum res gestas complectitur. Et sicut Homerus in Catalogo nauium, totius Græciæ quasi quamdam χωρογραφίαν pingit, ita Huttenus aptissime describit omnes Germaniæ partes, regiones, gentes, flumina. Hanc rationem explicandi ornatus, & quasi œconomiam non sine voluptate spectari a doctis arbitror. Et addidit sonum rebus tantis conuenientem, & grande genus versuum, in quo etsi desiderare aliquid critici fortasse queant, & in ipso quædam ætas suauiora reddidisset, tamen nemo tam iniquus censor fuerit, quin fateri cogatur, multa in hoc carmine egregia lumina esse verborum ac sententiarum. Continetur quoque Panegyricus hic Tom. III *Oration. & Elegiar. funebr. a Sim. Schardio coll.* Francof. ad Mæn. 1567, 8, ed. p. 83, b. seqq. verum omissa itidem dedicatione.

ræ oculos vix tollere cœpiſſent in Germania, hæc plures Hutteni ſimiles habuit Poetas? Is igitur, qui ita interrogauerit, ſciat velim, floruiſſe eo tempore *Rudolph. Langium*, *Io. Murmelium*, *Io. Rhagium Aeſticampianum*, *Io. Reuchlinum*, *Conr. Mutianum Rufum*, *Bilib. Pirckheimerum*, *Hermannum Nuenarium*, *Herm. Buſchium*, *Eraſmum Roterodamum*, *Io. Cæſarium*, *Iac. Montanum*, *Herm. Torrentinum*, viros, vt vario ſcientiarum genere, ita *Poetica* quoque *arte celeberrimos*: ſciat porro, *Eobanum Heſſum* Hutteno *æqualem* plane fuiſſe, *Germaniæ Poetarum facile principem.* qui omnes benignam Hutteni ingenii venam magnopere ſunt admirati, laudibus ipſius mirabiliter fauentes. Nec vero Germania tales Poetas non habuit, qui Hutteno ætate ita præſtiterant, vt diem antea obierint, quam is Panegyricum iſtum ſuum ediderat: quorum numero erant *Rudolphus Agricola*, *Adolphus Occo*, *Alexander Hegius*, *Conr. Celtes.* Nam id laudis perpetuo debetur *Poeticæ*, vt, quum laudati hactenus viri ſtudere ei in Germania cœpiſſent, cum melioribus ſimul lit-

teris ingratiam redierint: quemadmodum ex aduerso Romanis temporibus Poeticæ contemptum incredibilis rerum omnium inscitia infantiaque fuerat secuta (h). Quæ quum ita sint, quo acriore cura præstantem hanc artem excoluisse Huttenum cognoscimus, eo grauior omnino meliorum litterarum habendus est vindex.

Sequenti, id est *XV* sæculi istius, *anno* calamitosus atque funestus casus omnem Huttenam domum grauiter adflixit. Hic enim annus est, quo IOANNES HVTTENVS, *Ludouici* filius, Vlrichi nostri propinquus, ipsa *Vlrici Wirtemberg. Ducis manu atrociter est interemptus* (i). quæ interfectio magnas

(h) prudenter id monitum est a *Phil. Melanchthone* T. I, *Declam.* p. m. 409.

(i) in *silua Beblingensi;* Orat. IV in Wirtemberg. Ducem P. 3, b, Huttenus *Helenam* indicat, *propter quam incendium istud est conflatum:* ea fuit *interfecti Ioannis Hutteni coniux, Conradi Dommen filia:* quam deperierat Princeps. *Cædem* hanc ex ipsius Hutteni nostri scriptis fuse & accurate nuperrime descripsit auctor Commentar. Litter. Gall. (*Memoires de Litterature*) Tom. I, P. 2. Art. XI, ostendens simul, cl. *Bælium* minus vere coniecisse, *Vlricum Ducem interfecisse Io. Huttenum, propterea quod,* con-

gnas in Germania excitauit tragœdias, & Hutteno noſtro per quatuor amplius annos commentandi dedit argumentum. Proteruum facinus ipſius *epiſtola, Nonis Maiis* memorati modo anni *ex Thermis Emiſenſibus ad Marquardum de Hatſtein, Canonicum Moguntinum, Adfinem ſuum, ſcripta*, explicandum puto. qua ſane perfectum *acerbæ & ſtomachoſæ epiſtolæ* poſteritati reliquit exemplum.

Quæ mihi horrenda nuntias, dilectiſſime? In quos me luctus coniicis? Quam mœroris acerbitatem imponis? Ioannem Huttenum ingentis

coniugem ſuam nimis huic fauere, ſibi perſuaſerit. Facile ex eodem hoc eruditiſſimo auctore emendari poterunt, quæ aliter de cæde iſta enarrantur, & in *Auserleſenen Anmerckungen uber allerhand wichtige Materien und Schrifften, Hall.* 1705, III Th. 5 Anm. § 4, & in *Antwortſchreiben auff etliche Fragſtucke eines gelehrten Edelmanns, welcher in einer Preusſiſchen Provinz wohnet*, 1710, *im XII Brief.* (conf. *Neue Bibliothec* T. I, p. 783). Vterque auctor, Vlricum Ducem Huttenum per alium interimendum curaſſe, ſtatuit; quum tamen Huttenus noſter & in epiſtola, quam integram inſerui, & alibi, præſertim in Orat. I, F. 1, b, adfirmarit, ab ipſo Duce in ſiluam ſeductum atque interfectum eſſe cognatum: quod niſi ita ſe habuiſſet, Huttenus ſane adfirmare id haud ſuſtinuiſſet.

tis animi iuuenem a Wirtempergensi duce, cui a patre datus comes fuerat, interemptum. Dii immortales, quam hoc est nouum, quam atrox nuntium! Fieri enim potuit, vt quem adeo nuper dilexit, sic oderit nunc, vt occidat? Sed quid ais crudeliter, ac multis vulneribus, nihil tale meritum, incautum, inermem, proditum, interemptum, deinde in demortui quoque corpus sæuitum, & suspendio notatam innocentissimi iuuenis vitam? O inciuile facinus, o immensam c lamitatem, o ineluctabile malum! Quid huic seni obstabit, quo minus decernat, inuisam celeriter vitam abrumpere? Vtinam adessem, ac tam prudenter monere possem, quam consolarer amicissime. Quod Dii faxint, vt incolumem inueniam. Metuo enim, ne dolore exanimatus sit. & recordor, quam carum hunc habuerit filium, quanta spe suspexerit. Iste vero dolor quam merito cum illo mihi communis est? nosti summam hominis erga me benignitatem. vidisti, qua studia mea liberalitate iuuerit. Quorum si nihil esset, quem non tangeret hæc infelicis iuuenis innocentia? ista probitas, & a pulcherrimarum virtutum cumulo decerpta laus? Deinde mortis genus tam nouum? tam acerbum? tam immane? Ecquæ igitur satis digna vltio, qua in illum carnificem inuehentur omnes Hutteni? omnes

Franci

Franci Equites? immo vero vniuersa Germaniæ nobilitas? Hic vero quid agit nebulo? dolet ac pœnitet? an pœnitudinem non admittit tanta feritas? & ea est hominis malitia, quæ nullis conscientiæ stimulis obnoxia sit? Interim de Cæsare quæ spes est? egressum omnem modum scelus impunitum sinet? aut vero aliquod iustitiæ suæ documentum daturus creditur? Certe puto: quamquam interim metuo, ne quæ studiose inquirerentur, si negasset maleficus, eadem segniter puniantur, quum fateatur. Quod ad te pertinet, diligenter inuestiga, quid fiat, & quid omnes parent; ac confestim ad me perscribito. Ego interea me excruciabo hic, neque magis aqua madebo, quam lacrimis. Vale.

Præter epistolam hanc, & ipsam *in miserabilem Ioannis* huius *gentilis* sui *interitum Deplorationem*, siue quinque foliorum Carmen, eodem anno de interitu hoc litteras *Moguntia* misit ad *Iacobum Fuchs Eccles. Bamberg. & Herbipol. Canonicum*, ad *Ludouicum de Hutten* interempti Patrem: ex arce *Steckelbergk* ad *Michaelem de Sensheym Canonicum Herbipol.* Quas *V* vehementes plenæque doloris ac iræ *in Vlricum Wirtemberg. Ducem*, propinqui interfectorem, *Orationes* sequentibus annis sunt secutæ.

de

de quibus ac reliquis ſcriptis, quibus in Principem inuectus, acerrime pro innocentia atque virtute trucidati gentilis propugnauit; & quæ coniunctim denique ab ipſo emiſſa ſunt, pluribus infra a me agetur. Annorum enim ordinem ſeruare conſtitui.

Idem *XV annus* graui alio vulnere Hutteni animum percuſſit: ſummi nimirum ipſius *Patroni* EITELWOLFI DE LAPIDE *morte:* quam citata modo ad *Iacobum Fuchs epiſtola* dolenter deplorauit, ita, vt egregia multa de optimo ac commemorabili virtute prædito hoc Equite memoriæ ſimul prodiderit: quæ relaturus eſſem, niſi *Melch. Adamus* iſta ex eadem epiſtola excerpta iam dediſſet (k). Talem erga Muſas præbuiſſe ſe Eitelwolfum adfirmauit alibi (l) Huttenus, vt, ſi *Germania* plures iſtius ſimiles habuiſſet Equites, quin *huius incolæ barbari tum eſſe*

(k) in vita Iureconſ. p. 7, ſeqq. vbi commemorat, Equitem hunc ex celebri a multis ſæculis in *Sueuia* familia nobilium *Vom Stain*, vulgo *de Lapide*, oriundum fuiſſe.

(l) in dedicatione, qua ipſi *Panegyricum in Exceptionem Alberti* conſcr. nuncupaſſe, ſupra oſtendi.

ſe deſiiſſent, haud dubitarit; futurum certe tum exiſtimarit, vt iisdem incolis *pudere ſe ſui neceſſe non fuiſſet:* inuitum plane ad ipſum hunc Patronum ſuum ſequentia ſcripſiſſe ſe faſſus; quæ & dolor ipſius & multorum detrimentum dicere coegerint: *Vides, qui in noſtrum ordinem peſſimi mores inuaſerint, vt, qui hos contemplatus fuerit, rectius* Centauros, *quam Equites Germanos dixerit: quisquis enim nunc ſtudia litterarum bonæ indolis adoleſcens ſequitur, eum illi ſtatim tamquam exſortem omnis dignitatis, ab imaginibus Maiorum ſuorum degenerem, ac ſui diſſimilem, deſpicatui habent, eum rident, eum ſubſannant, ei medium digitum oſtendunt: quo factum eſt, vt iam multi, qui procul dubio clariſſimi euaſuri erant, retro pedem contulerint, ac vulgari opinioni adhæſerint. Poſſem nominare aliquos, & tu vidiſti innumerabiles. Illos vero Centauros quotidie audimus nobis obſtrepentes, & vt ſunt* νήπιοι ἀγερώχοι ἐφημέρια φρονέοντες, *ſe ſolos putant, in quos reponi debeat omnis patriæ ſpes ac fiducia, per ſe vnos omnia domi foriſque gerenda eſſe autumant, ſe ſolos nobiles exiſtimant, cæci mediusfidius, obtuſi, & Cimmeriis tenebris hebetiores. A quorum moribus tu intelligis quantum abhorreat*

meus

meus gentilis Frobinus Huttenus (ll); *nam quum litteras ignoret, ea, qua multi, iniuria a studiis olim distractus, ita tamen de litteris ac litteratis omnibus sentit ac loquitur, vt in studiis litterarum coaluisse credas. Ea est erga omnes humanitate; ea in iuuando me benignitate ac munificentia perspectus est: & quando non vidisti hunc ingemiscentem, quoties in mearum calamitatum historiam aliquam incidit? Quando non reprehendit illorum stultitiam ac superbiam, qui se ipsos ignorant, & bonos contemnunt? Namque, vt nosti,* ὀυ νῦς ἐν κενταύρισιν. *Tu vero vnus e paucis quanta felicitate coniunxisti hæc,* negotia rei militaris, & otium studii litterarum? *quæ te historiæ latent? quas fabulas ignoras? quæ carmina non legisti? Prudentia vera & rerum gerendarum peritia in te notior est, quam vt a me prodi debeat. Talem te apud inuictissimum Cæsarem* Maximilianum *præstitisti, tali te vsus est* Ioachimus Marchio, *talis*

(ll) *Dapiferi*, ni fallor, in *Episcopi Herbipolit. aula* munere perfunctus. *Frobenio* etiam illi Hutteno nomen fuit, qui in *Moguntina aula Mareschalli* munus paullo post obiit; famæ celebritatem in *rusticorum tumultu* adsecutus: is enim erat, qui equitibus, contra rusticos rebelles militantibus, præerat. vid. illustr. *Seckendorf. Histor. Lutheran.* I, CLXIII, Add. I, x. II, IV, 1.

lis apud hunc Albertum *maxima omnium nostrum vtilitate, & Reipub. Moguntinæ commodo haberis. Indicant item opes te tuæ, manifestat splendor, dignitas ac potentia, quæ tu omnia* onus ac impedimentum otii *tui appellare soles, mira & inaudita modestia. In quo enim rectius hæc cumulata videntur, quam in te?* Ἐσθλῷ γὰρ ἀνδρὶ τ' ἐσθλὰ καὶ δίδοῖ θεός. *Quid dicam, quam te inuitus deseruerit alter frater, quam cupidus alter abstraxerit? Deinde quam memorabile verbum, & omni posteritate dignum retorsisti in illum* Marchum Equitem, *qui quum te pro concione insolentius obiurgasset, dicens:* non eam esse ætatem, vt possis iam tanta meminisse, *respondisti:* At tu, o senex, tantum ea in memoria habes, quæ annis quadraginta, aut paullo pluribus, acta sunt, ego vero etiam ea scio, quæ duobus aut tribus retro millibus. *Ibi te extemplo circumstantium fauor ac applausus excepit, illum sua confusio operuit. Laudo igitur te, Eitelwolfe, ac nostro ordini gratulor; qui te, tanto viro, rusticitatis famam exuit: es enim exemplum multis, & iam ita me animasti, vt nondum pœniteat eorum laborum, quos annis iam decem turbulentissimis fortunæ tempestatibus per Germaniam simul ac Italiam,*

G amo-

amore litterarum exhausi; & parebo posthac libenter tuis monitis, meo etiam periculo. Quorsum enim non concedam ei, qui sic de me, sic de bonis omnibus meritus est? Quantus vir fuerit *Eitelwolfus de Lapide*, præconium hoc non obscure declarat. Lectorem tamen magis *virtutem doctrinam*que viri admiraturum spondeo, si imaginem, quam Huttenus post obitum eius expressam immortalitati consecrauit, & quam ab *Adamo* renouatam dixi, contemplabitur. cognoscet, Germaniam *primum* eum & *vnum* habuisse *equestris ordinis virum, qui cum magnarum rerum administratione litterarum studia coniunxerit;* tantumque abfuisse, vt *Lauream* a *Maximiliano* Cæsare accepisse eum piguerit, vt *Poetæ* atque *Oratoris titulos* laudi duxerit singulari: qui litteratos amarit, ab omnibus vicissim amatus: qui numquam non inter equitandum ex doctissimis aliquem auctoribus secum habuerit, numquam ab Hutteno sine *libris* visus; siquidem hos *alterum armorum* suorum *genus* appellare consueuit: qui *Latine* prompte & incorrupte dixerit, & in cuius *scriptis* tanta fuerit *elegantia* tanta *dignitas*, vt eruditi cum admiratio-

ne

ne *epiſtolas* eius legerint; ſtupentes, ab homine, negotiorum magnitudine a ſtudiis ſeiuncto, *tam Latinas, tam caſtigatas* dari potuiſſe *epiſtolas:* qui *Græcas* etiam attigerit in Italia *litteras*, ex medio ſtudiorum curſu ab ſuis reuocatus: id quod ſæpe deinceps conquerentem eum audiuiſſe ſe, adfirmauit Huttenus. a quo memoriæ porro proditum eſt, quamcunque ſummus hic Mæcenas ciuitatem transierit, præcipuam eius curam hanc fuiſſe, vt de *ſtudiis horumque profeſſoribus* inquiſiuerit; vtpote qui in eligendis amicis primum & maxime *litterarum claritate* motus, facillime talem quempiam acceperit; & quum quidam ex doctis illum adiens oraret, ne hoc moleſte ferret, *neminem doctum moleſtum ſibi eſſe*, dixerit; quum vero in Huttenum ſuum incideret, his verbis eum compellarit: *Ades, aliquid horarum ſtudiis noſtris ſubſurabor.* Sed quo, quæſo, viri me rapuit admiratio, qui Lectorem initio ad ipſum Huttenum, vel Adamum ablegaueram? Verum ne ſic quidem omnem laudem, quam impertiuit ille *Equitum litteratiſſimo*, ſum perſecutus. multa præterea memorabilia

inueniet in Hutteni epiſtola Lector, quæ breuitatis cauſſa prætermitto: ſumma inter ea *argutiarum* eſt *feſtiuitas*, quæ illos exteros corrupti conuincet iudicii, qui *Germanis ingenii ſuauitatem denegare auſi ſunt.* Quum is fuerit Eitelwolfus de Lapide, cuius auctoritate & exemplo, beneuolentia item, vel amore potius, Hutteni noſtri ſtudia quam plurimum ſunt adiuta; cuius cura ac prouidentia ingenium eiusdem mature a monaſticæ conſuetudinis corruptelis eſt vindicatum: qui etiam aliquando, quum CC aureos, quos muneris loco ab *Alberto* Principe ei impetrauerat, ad eum referret, *dat hos*, dixit, *litteris tuis Princeps:* memoriam eius, occaſione ita ferente, renouandam denuo decreui, vt recordaretur ſemper posteritas, *cui* inprimis *debeat Hutteni eruditionem:* & vt hoc etiam nomine memoriam eius ſancte coleret. Cuius ipſius prudenti quoque conſilio *Francofurtanam Academiam* deberi, ſupra intelleximus: licet ipſe ſæpius faſſus ſit Hutteno, *pœnitere ſe, quod conſiliis ſuis induxiſſet Ioachimum Marchionem ad inſtituendum Gymnaſium, quoniam ab indoctis doctis poſſideri, non a Græce &*

La-

Latine eruditis, vt ipse proposuisset, excoli cerneret.

Sequenti *XVI anno tertium* (*), mea opinione, *in Italiam abiit* Huttenus noster: *aulicæ consuetudini*, si rediisset inde in Germaniam, *destinatus*, *magna* quidem, vt Erasmo confessus est, *sua cum molestia:* quo cum vt aliquot annos esse sibi licuisset, magnopere adhuc in optatis habuerat. nec tenacius adhæsurum se ei non fuisse, quam *Alcibiades Socrati* olim adhæsisse dicatur, ipsi Erasmo confirmauit. neque enim indignum se futurum fuisse censuit, qui *ad Erasmi pedes Græcas litteras tum didicisset;* neque Erasmo indecorum esse potuisse, credidit, si *Germanus Eques* studiose ipsum fuisset sectatus. qualem certe consuetudinem *aulicæ* etiam *vitæ* præpositurum se fuisse, ostendit. Decreverat eä propter antea, Erasmum adire,

 in

(*) *ter* saltem *in Italiam accessisse* Huttenum, ex ipsa huius ad *Pirckheimerum* Epistola patere, arbitror, vbi *quatuor prope annos agentem se in Italia magna rectiorum studiorum iactura Accursianum absinthium potantem tempus perdidisse*, scripsit. Quatuor vero continuos annos egisse Huttenum in Italia, nemo mihi probauerit.

in *Britanniam* adeo eum secuturus: quod consilium suum *importunam suorum liberalitatem* impediuisse, conquestus est; *liberalitatem* enim hos vocasse, *quod discendis Legibus sumptum ipsi sint elargiti, atque eo nomine Romam ipsum miserint.* Totum se de reliquo tum a *tremore* ac *pedis morbo*, quo laborasse eum supra audiuimus, conualuisse, significauit Erasmo; spondens, fore, vt, si ipse hic in Italiam venerit, nihil remorari se queat, ad Erasmum suum iturum, *ex Legali illo carcere, quo ab suis esset relegatus* (**). Quibus itaque litterarum doctrinæque studiis operam ibi nauauerit, licet, vt promisi, pluribus explicaturus non essem: ex his ac superioribus coniicere id difficile non foret. Qyum *Cynus Pistoriensis, Bononiensis Iureconsultus*, ad iuris ciuilis studium *Franc. Petrarcham* olim adhortaretur; hic audacter

(**) in epistola, *VVormatiæ*, atque ita ipso in *itinere*, *d. XXIV Octobr.* indicati anni, *multis conuiuiis ac comitibus circumstrepentibus*, exarata, qua simul ab Erasmo petiit, vt, si vacaret ac Romam scriberet, ipsum cuidam *litteratorum* commendaret, *cui nec mulos scaberet, aut equos fricaret, sed cui inter libros adsideret.* in App. Ep. Erasmi est ep. LXXXVI.

ēter ei reſpondebat (m): *Studium, in quo me hortaris, ſeruile officium reputo, & mancipium omnibus ſe præſtat, qui illo vtuntur; & ſi paterna non foret reuerentia, ſi poſt me curreret, quia libertate vti cupio, non acceptarem. Quis eſt, qui non dicat, hæc iura venalia eſſe, & ad bene recteque viuendum longe aliis ſtudiis eſſe inferiora? - - - Sed vt dignitati tuæ & paterno amori morem geram, perſequar & tempus non contriuiſſe oſtendam.* In eadem plane ſententia Huttenum, quum in Italia verſaretur, fuiſſe, his ipſe verbis aperuit (n): *Poſtquam mihi ſtomachum mouerunt iſti olim ſuperbi* legum diſpenſatores, *fateor, eſſe aliquid contendi, & eo ſtudium contuli meum, ac diſperedam, ſi vlla alia ratione, quam vt meorum deſiderio ſatisfacerem, & ipſum illud, quantumcunque nugatorium eſt, quo iſti triumphant* Bartoliſtæ, *adſecutus, acceptoque doctrinæ titulo, quo decipi vulgus amat, ab illis poſtea audiri mererer: quod aliter per contemptum non fiebat. Doctorem enim eſſe oportet nunc, doctum neque neceſſe eſt, neque omnino aliquid eſt.* Quanta litterarum iaētura

G 4

(m) cit. vita *Fr. Petrarchæ*, pag. 31. ſeq.

(n) quæ leguntur in epiſtola ad *Crotum Rubianum*, *Nemini* præfixa, p. m. 9, ſeq.

ctura hoc facies, *aiebat aliquis? Nulla respondi; quippe impendendum aliquid succisiui temporis, dum istas illiteratas litteras, atque hanc doctrinarum fecem, iactare discam. Nam intelligere nullo negotio licet. Sum enim plane in ea opinione, vt, qui in his studiis superbire sciat, & pro tempore ingerere se audeat, eum consummatum hoc tempore Iureconsultum existimem. Quod institutum, quid refert, quomodo postea immutauerim, scribere, quum tu illi interfueris Senatui, quo istud factum est consilium? Ad* Bartolistas *redeo. Tales sunt, qui nunc in auribus Principum quasi spongiæ hærent - - - . Ex his quemdam noui, insignem asinum, quod mihi videtur, quod ipsi Iureconsultum, qui aliquando simul audientibus nobis Papiæ illud* iuris columen Iasonem, *quum is prælegeret, ac multis citatis auctoribus subiiceret,* & Alexander de Imola, ac sequaces, *conuersus ad proximum, quæsiuit, quis ille esset* sequaces. *Putabat enim ex glossatoribus vni* Sequaces *nomen esse. At idem ille, qualis qualis est, nuper ex Italia rediit, libris ac vestibus splendide instructus, & inter Doctores numeratur, ac me, qui melius capio Iasonem, post tergum relinquit. O mores! o studia! o temporis huius capita! Quin istas abster-*

ſtergimus nebulas, & aliquando verum intuemur? At valde interim ex ſuis ſibi iſti commentariis placent, ſtudium alioquin tractabile, omni caligine inuoluentes, ac Cimmeriis planè tenebris obſcurius reddentes. Quarum vt denſiorem quis nebulam, atriorem noctem, libris Digeſtorum admolitus eſt, ita pro claſſico auctore celebratur, & in admiratione habetur. Cuius enim lucubrationibus non antefertur Accurſius *quidam, ex cuius tenebricoſo ingenio hic offuſus eſt Iuri ciuili fumus? Non iniuria igitur miſerebat te mei olim, cui, vt ſtudioſus eſſem, ad huiusmodi ſtudium diuertendum erat. Tam inconſulta ſunt hominum ſuper humanis ſtudiis conſilia. Quare, vt mihi videtur, qui ingenuo ſunt animo, ac recte libero, omnia malint, quam in has ſe demittere ſordes.* Totum ſe quoque in hac patefecit epiſtola, ex *Italia* in *Germaniam* miſſa.

Huldricus Huttenus Eq.
Nicolao Gerbellio Pontificii Iuriſconſulto
Salutem D.

Tres nuper dies perdidi amiciſſ. Gerbelli, eo enim ventum eſt, vt quod aut ſcribendis libris, aut optimis auctoribus euoluendis tempus imper-

 tior,

tior, id perdidisse me arbitrari debeam, totum possidenti studium meum legali scientia. *tres, inquam, dies perdidi*, Epistolam ad Maximilianum Principem, quasi scribente Italia, *fingens* (o). *Aususque sum in re admodum seria ludos agere; quod minime poteram obstare hortatibus* Iacobi Fuchs *Canonici Francorum omnium, qui vbique sunt, studiosiss. cuius nunc contubernio vtens hic*, Accursianum absinthium *poto. Eas nugas ad te mittendas curaui, quia memini flagitasse te hoc a me anno praeterito, vt aliquid tibi ex Italia quandoque mitterem, quo meum erga te studium testatum haberes. Verum tu quid non idem facis? an ego minus testimonio amoris tui indigeo? Res magnae in Lothoringis geruntur. aliquid fama, sed ea non constans sibi, huc detulit. Scribe, si quid habes. In Italia bellum trahitur. Pontifex aegrotat. Ego nuper a quinque Gallis, quia aegre tulissem iactatas in Caesaris existimationem contumelias violenter primum pulsatus, deinde vi ac armis petitus, Dei opt. max. praesentissimo auxilio salutem meam defendi. Ex Gallis qui ferocissimus erat,*

(o) separatim primum *Bononiae* vna cum hac *ad Gerbellium epistola* emissa in 4, inserta deinceps est Poematis coniunctim editis, adiecta *Responsoria ad Italiam Maximiliani Caes. auctore Helio Eobano Hesso*: omissa ex aduerso ad *Gerbellium* epistola.

rat, interiit. Ego conscissa sinistra bucca insignitus sum, praeterea mali nihil accepi. Immodica est per totam pæne Italiam Gallorum superbia (p). *De* Capnionis *summi viri caussa bene te sperare iubeo. Salus in procinctu est.* Hogostratus Theologistarum alpha *ingenti decocta pecunia (tanti spem suam emit) nihil effecit. quique olim potentia fretus sua optimo cuique molestus facile fuit,* τῇ κεφαλῇ τὸν οὐρανὸν ἐξαράσσειν ἐπιχειρῶν, *fractus animo est, destitutusque lupus hians discedit.* Erasmus *Pontifici commendauit* Capnionem *litteris.* duos Germaniæ oculos, *omni studio amplexari debemus. per eos enim barbara esse desinit hæc natio. Sed iam satis, quæ ad te scribenda duxi, habes. Tu vicissim aliquid scribe, ac vale.* Bononiæ *secundo Calendas August. Anno M D XVI.*

Nec vero *Erasmum* discrimen istud (q), & reliquos casus, quibus in Ita-

(p) de eorum, vt tum fuit, *Natura* in Dialogo Hutten. *Momus* inscr. ita iudicatur: *Natura ea Gallorum, vt plus velint, quam possint, & quo amplius se nesciunt, hoc magis desipiunt: pugnaces quidem sed imbecilles.*

(q) *Sex* amplius de eodem discrimine *Epigrammata* Ope-

Italia (r) iactatus est, celauit Huttenus: ad quem in Germaniam sequenti *XVII anno* reuersus verbosam dedit epistolam (s). *Quum iam nosci incepissem, in Italia,* scribit ea, *orta est quaedam turbulenta, Erasme, tempestas, quae ab vrbe* (ſ) Bononiam,

Operib. Poet. inserta leguntur: quorum numero & hoc est *in Gallum ab ipso caesum*:

I, morere, & Stygias tecum hoc, Galle, adfer ad Vmbras,
Esse aliquem, Gallos, qui neget, esse Deos.
Qui Vici tamen, & quem tu aequo haud Marte petisti,
Ossibus ipse tuis molle cubare precor.
In me quinque Virum tua proxima dextera Visa est,
Testis ero, & Vulnus, quod tuli, ab ense tuo est.

(r) Multa itidem *de Statu Romano Epigrammata*, *ex Vrbe ad Crotum Rubianum missa*, inter eadem Opera Poet. occurrunt: prioris extrema verba sunt:

Desine Velle sacram inprimis Crote Visere Romam,
Romanum inuenies hic, Vbi Roma, nihil.

(s) *Bambergae* d. 21 *Iulii* scriptam: quae Erasmi Epistolar. Appendici, in eximia *Lugd. in Bat.* an. 1706 emissa editione, primum ex MSto accessit, ordine CLIII; qualis & eiusd. Appendicis LXXXVI epistola erat, supra citata.

(ſ) quum a Gallorum Rege legatus, ad Pontificem *Leonem* contendens, *Viterbium* diuertisset, Huttenus

niam, *vſque deiecit: nam quinque Galli, robore corporum ac ferocitate animorum horribiles, aggreſſi, pæne tuum tibi Huttenum ademerunt. Verum præſentiſſima Dei opt. max. ope, quum defenſionem molitus eſſem, profligaui latrones: vnum etiam interemi; accepto in ſiniſtra bucca vulnere, quod dices pro periculi magnitudine modicum. Eam ob cauſſam non tuli Gallorum perſecutionem; meque eripui, ex Scylla in Carybdim prouolutus: orta enim Bononiæ inter Germanos ac Langobardos ſeditione, pæne abſumptus ſum, iuſſusque cauſſam apud ciuitatis Præſidem communi Germanorum nomine perorare:* Hiſcus *is eſt, Genuenſis natione, quamquam pro noſtra iniuria, & illius iniquitate, non acerba ſatis eſſet oratio: vehementer offendi hominem. Quare* Ferrariam *inde profectus --- paucos ibi dies commoratus ſum,* Venetias *ad ſe vocantibus duobus* Huttenis, *qui in Syriam abeunt.*

Miris modis ceteroquin beneuoli fuerunt *Italiæ eruditi* Hutteno, vt primum *Era-*

tenus huc ex vrbe excurrerat: vid. Vita *Ph. Melanchthonis a Camerario* ſcr. p. 92. *Viterbium* itaque vrbs fuit, quæ Hutteno campum, in quo virtus ac robur ipſius cognoſci poſſet, præbuit.

Erasmum se nosse adfirmauerat, eumdemque præceptorem appellauerat suum; *Adagiorum opere* in Germania denuo excuso, *Moria*, aliisque ingenii eius monimentis monstratis. quæ multorum amicitiam conciliasse sibi; & *Nicol. Leonicenum*, *Cælium Calcagninum* & alios *Ferrariæ* vltro eo nomine occurisse, significauit Erasmo. *Venetiis* vero tantam inuenisse se testatus est humanitatem, vt nusquam gentium maiorem; vbi a *Baptista Egnatio*, *Hermolao Barbaro iuniore*, *Angelo Contareno*, *Andrea Asulano*, humanissime exceptum atque litterariis muneribus perliberaliter donatum se esse prædicauit. In cuius postremi ædibus *Aldinus infans*, *(Paullus Manutius* forsan intelligitur) productus Huttenum osculo accipere iussus fuerat. Optio in iisdem ædibus præter complura oblata munera data huic est, quid librorum typis ibi exscriptorum vellet insuper. Equidem & Erasmi & ipsius Hutteni nomine gratum atque iucundum hunc fuisse sibi, professi sunt Erasmo doctissimi isti *Itali* (t): quandoquidem

(t) vid. *Baptistæ Egnatii* epistola ad *Erasmum*, quæ CXLI est Epistolar. huius Appendicis.

dem ex vno congressu eius coniicere se potuisse confirmarunt, *Huttenum cum moribus, tum litteris ornatissimum virum esse:* cuius virtus suauitasque effecerit, vt suauissime eum sint complexi.

Venetiis ad *Germanos* suos commemorato anno redierat; quumque *Augustam* appulisset, in *Conr. Peutingerum*, *Iacobum Spiegel*, & *Io. Stabium mathematicum* incidit, & productus ab illis ad *Cæsarem*, *Corona poetica* in magno nobilium conventu *donatus est* (tt.) Quantum *Peutingero* hoc nomine debuerit deinceps Huttenus, epistola ad eum postero anno scripta publice sic declarauit (u). *Non memoria excidit, quanta tu nuper diligentia, quantoque studio, redeuntem ex Italia me commendaueris* Maximiliano *Cæsari. Qui quum tua graui oratione, in consessu amplissimorum virorum, de meis studiis, deque illa ærumnosa per Europam peregrinatione, simul de quadam mea feliciter illi pugnata pugna persuasus esset, vt me honoraret: quos tu non magnificos titulos, quæ non*

(tt) beneficium hoc prædicat eadem CLIII ad *Erasmum* epistola, paullo ante allegata.

(u) præfixa ea est *ad Principes Germ. vt bellum Turcis inferant, Orationi.*

non celebria nomina, quas immunitates, quæ priuilegia protulisti? vt ingratissimus sim omnium, qui vsquam viuunt, mortalium: nisi te valde amem, ac reuerenter colam. Proinde continuo oculis meis obuersatur; qua me primum hospitalitate in domum tuam accepisti: deinde qua prædicatione, quibus amicis commendasti: postremo qua pompa ad Cæsarem adduxisti: vt ille tuo instinctu ad se admisit: vt Coronam poeticam *imposuit* (v): *illam aio Coronam, illam* Lauream, *quam tu ante domi tuæ, accurate contexente & adornante filia* Constantia, *omnium, quæ istic sunt, puellarum & forma & moribus præstantissima, apparaueras* (x). Quod

(v) quamuis vero & *natus*, vt hactenus satis cognouimus, & *Cæsaris manibus coronatus Poeta* exstiterit Huttenus, tantum tamen ab omni hac in re ambitione inanique iactatione is abfuit, vt, *diuinum Poetæ nomen* se vmquam arrogasse sibi, negauerit, in ep. ad *Michael. de Sensheym Canonicum Herbip.* Orationib. contra Vlricum W. D. præm. Aegre videlicet tulerat Huttenus, quum *Romanus* quidam, vt eum appellat, *Mulio* quæsiuisset ex quopiam tum, quum Huttenum *Poetam* salutari forte ab amico animaduertisset. *Versificator potest esse hic?* audiuisse quippe eum & ipsum id, addit Huttenus, quoties a stabulo vacarit, *plerosque versificatores esse magis, quam poetas.*

(x) vberrimam sic ad *Constantiam* exquisitis Epigrammati-

Quod si omnes populares tam honorifice de Hutteno eiusque studiis post ipsius in patriam reditum iudicassent, quam celeberrimos istos *Triumuiros* iudicasse colligere est, querelam eiusmodi altero anno post, quam in patriam reuersus erat, instituendi caussam is non habuisset (y): *Ego, qui post tot annorum meam per Europam peregrinationem, tot aditis periculis, tot exhaustis calamitatibus, nullis non æ-*

matibus laudandam efferendamque Hutteno, tam ingenioso Poetæ, copiam tum fuisse, clar. *Belius* censuit. *Maior natu Peutingeri filia* fuisse *Constantia* videtur: *filiam* certe is etiam habuit, cui *Julianæ* nomen fuit, quæ quadriennis puellula *Maximilianum* Imp. an. 1524 Augustam venientem Latina acclamatione quasi Reip. nomine salutauit. vt *Mart. Crusius Annal. Sueu.* P. III, lib. IX, c. 13 refert. Ab istâ honorum accessione *Hutteni imaginem armatam*, *capite laurea coronato*, circumlatam esse, Adamus refert: quali effigie plurimum delectatum esse Huttenum, simul adfirmat. Quam plurimis sane Huttenianis scriptis effigies ista adiecta hodieque comparet: quum etiam *sine lorica & sine laurea sui effigiem* exprimendam antea curasset, nonnullis ipsius lucubrationibus additam.

(y) in præfatione *Nemini* præmissa, toties hactenus citata, quam ad *Crotum Rubianum* suum scripsisse Huttenum, commemoraui, pag. 5.

rumnis adflictus, quum tandem ad meos rediissem, quid aliud sperare debui, quam homines longa mei exspectatione fessos, aduenienti accursaturos; obuiis manibus excepturos, blanda aliqua præfatione salutatum amplexaturos, gratulaturos incolumitati meæ, probaturos, quod cum patriis Musis rediissem in gratiam? At paucioribus curæ fuerunt hæc, quam reperti sunt, qui me accusarent etiam. iam enim fama præcesserat, quibus studiis quam operam impendissem. Itaque reprehendere omnes, ac frustra laborasse, & tempus perdidisse dicere. atque eo omnium tandem calculi coniecti sunt, &, quod vix credis, in patria miser inueni Neminem æquum meorum studiorum iudicem. Illum vide Neminem, *qui hoc de se dicit:* Nemo refert studiis præmia digna bonis. *Non aliter, atque ille ego sum decoctor filius, qui ad porcorum haras, & comissandas siliquas relegari debeam. aut non melius sit ita studuisse, quam studuisse omnino nihil. Nam ex æqualibus, qui neque litteras, neque natare didicerunt, nihil offendebant. Adeo tutius est, non studere, quam sic studere. Et hanc quidem impegerunt mihi culpam, vt esset, quod duritiei suæ prætextum obtenderent. Tuncque primum diuagatus est rumor, Nihil didicisse me, ac esse Nihil, magnis ille quidem auctoribus.*

Nam

Nam vbi in illos quis inciderit iactatores leguleios, *aut ad hos appulerit* superciliosos Theologistas, *non dico, quomodo possit scire aliquid, hoc dico, quomodo posset esse aliquid? Diogenes Cynicus vltro nihil scire vult post eum, qui omnia scire profitetur, at esse aliquid contendit. Id quod ego adhuc consequi tot laboribus non potui. Nam quum inter meos versor Equites, haud numeror, ex istis vero* indoctis doctis *nemo me agnoscit. Ac nescio, an alicuius eorum vmbra sim. Ita plane non sentio ipse me, quoties sua studia prædicant, suam eruditionem, sua ingenia ostendunt. At vero in me quicquid est, omni contemptu contemptius iudicant.*

Fac vero, illiteratos atque inglorios homines Hutteni eruditionem despicatui duxisse. Mitius ab iis cum *Pirckheimero* actum non est. qui in *iurisconsultorum* primum incurrerat *reprehensiones*, quod, veneranda & fructifera Legum maiestate neglecta, ad *sterilia* ista, vtque ipsi contenderant, *inania* diuertisset *studia:* deinde nec *amici* æqui bonique consuluerant, quod tot curas, quum publicas tum priuatas, *litterarum* degrauasset

incommodo: *vulgi* denique *risus* accedebat atque *subsannatio:* a qua nec *militum* abstinuerat *petulantia* (*). Laus illa, quæ ab hominibus in summa laude viuentibus in ipsum proficiscebatur, eo iucundior nostro esse potuit. Quum in Italia adhuc commoraretur, *Erasmus* Nouum Testamentum cum commentariis suis ediderat: in quibus *honorificam* Hutteni fecerat *mentionem:* quam quum hic in Germaniam reuersus legisset, Erasmum blande admodum epistola compellauit: *Quæso*, inquit, *quid te mouit tanti facere me? aut quid erat in me tale, vt dignum duceres tuo præconio, humanissime Erasme? quam videris amare Huttenum, qui te tamen nullo vmquam merito obnoxium sibi reddidit!* Pæne mihi exciderat, *inquis: næ, si tibi excidissem, tunc ego omni simul posteritatis cognitioni excidissem; Dii te nobis seruent, Lux Germaniæ, ac tu cogita, ne vsquam esse malis, quam in tua Germania. Cæcutiunt Principes nostri, sed te puto videbunt, tam clarum, tam splendidum.* Nec vero lætus esse non potuit Huttenus, laudari se ab *Erasmo*, lauda-

to

(*) testatur talia de se ipse *Pirckheimerus* ep. dedicat. II, & VI, Op. pag. 231, & 236.

to adeo viro. A quo si quis epistolam ad se elicere forte potuerat, ingens illa habebatur gloria, praeclarus agebatur triumphus. quod si autem colloquii & congressus Erasmici cumulus aliquando acciderat, ita, vt aditus ad eum alicui pateret, tum demum sibi in terris, is cui hoc contigerat, beatus videbatur. credebatur enim *Erasmus*, vt erat, *politioris doctrinae* esse *princeps*: & in vno ipso omnes contra barbariae impetum satis opis praesidiique esse statuebant. ei idcirco, velvt scito & artificioso in studiorum scena actori, applaudebatur: ac omnes, qui a Musis alienos esse se perhiberi nollent, ipsum non modo admirabantur, & magni faciebant collaudabantque, verum sibi etiam eam, in quam vita ipsorum delata esset, saeculi felicitatem, congratulabantur (z). Quae quum ita sint, nemini mirum adeo videri potest, Huttenum, vt supra percepimus, *Erasmi consuetudinem vel aulicae vitae praepositurum fuisse*:

(z) tanto honore ab aequalibus suis exornatum esse *Erasmum*, *Ioach. Camerarius* in Narratione de *Eob. Hesso*, epistolis huius praef. B. 6, b. grauissimus testis est.

ſiquidem *huic placere poſſe, quamdam felicitatem putabat* (*). nec quiſquam porro magnopere mirabitur, puto, ſi in eadem Hutteni ad Eraſmum epiſtola legerit: *In ſumma, ita me Dii ſeruent, atque ita tu pro communi Germanorum gloria diutiſſime nobis ſuperſis, nulli non conditioni præpoſiturus ſum, ſi mihi tecum eſſe liceat, vt illud excolam ingenium, quod placere tibi videtur. Si habes conſilium, explica.* Incertum enim ſe eſſe, quid ſibi in Germaniam tum reverſo faciendum eſſet, hiſce verbis Eraſmo ſignificabat: *De me ſatis non ſcio, quid fiet. Tres viri* (a) *quos præfatus ſum, in aulam Cæſaris inuitant, multis inde retrahentibus; aliqui ad Moguntinum: quid ſequar, nondum ſtatui.* Mox tamen ſtatuiſſe eum, paullo poſt cognoſcemus.

Bamberga, vnde illam epiſtolam dicto ſæculi *anno XVII*, vergente *menſe Iulio*, ad Eraſmum miſit, & vbi *Ioach. Camerarius*, in patria ſua tum verſans, Huttenum primum vidit, in gentilitiam ar-

(*) ep. inter *Eraſmi* Ep. LXXXVI.

(a) *Peutingerum* puta, *Iacobum Spiegel* atque *Stabium*: quos aditum *Cæſaris* conueniendi pateſeciſſe ſibi, Eraſmo prædicauerat.

arcem suam *Steckelbergk* perrexit: Quo quum vix venerat, consilium de *Laurentii Vallæ contra efficīam & ementitam Constantini donationem libello* denuo edendo initum expediuit. Cui *verbosam ad Leonem X Pont. Max. præfationem* præfixit, libere & audacter scriptam (b). ita acerbe enim in *superiores Pontifices* ea inuectus est, vt virilis & ab omni plane metu vacui Hutteni animi index præfatio hæc haberi queat. Talem sane animum vel sola hæc vehementiora eius verba aperte produnt: *In illos vere detestandi sceleris commentores Pontifices omnia acerbissima dicta, omniaque ferocissima facta conueniunt. Quid ni? In* depeculatores, *in* fures, *in* tyrannos, *in* latrones. *Quis violentior enim latro est, quam qui ita rapit, vt rapiendi modum nullum statuat? Hi fuerunt, qui, in minimo arrepta occasione, ad immensum progressi sunt diripiendi licentia. qui gratias venum exposuerunt, qui conditiones, qui dispensationes, & infini-*

H 4   *ti*

(b) in arce ista *Steckelbergk*, Kal. Decemb. an. 1517. Recusa est *Vallæ Declamatio*, vt inscribitur, *de falso credita & ementita Constantini donatione*, vna cum luculenta ista Hutteni ad *Leonem X.* P. M. præfatione *Lugd. Batau.* an. 1620, 4, & alibi.

ti generis bullas, qui vendiderunt tanto iam tempore. qui in peccatorum remissione pretium statuerunt, & in pœnis inferorum inuenerunt sibi lucrum. qui sacerdotia heic, eleemosynam parentum nostrorum passi sunt ab se mercari. qui Germanis persuaserunt, episcopos non esse, qui ab se pallia non emerint, multis aureorum millibus. qui contenti non erant exigere extra ordinem quotannis semel, sed mittebant, quoties in mentem venisset, qui colligerent aliis alii de caussis, nonnulli, quasi bellum apparaturi contra Turcas: alii vt templum, quod perfici non curant, Romæ diuo Petro extruant. Qui quum hæc omnia facerent, tamen salutari vulgo beatissimos & sanctissimos *volebant, nec aliquid in suos mores dici patiebantur, nedum fieri. Si quis vero libertatis meminisset, aut si quis rapientibus impedimentum, aut moram si quis omnino obiecisset, in eius sæuiebant animam, perdentes actutum. - - - Sic maledicendo perdebant illi animas hominum, quasi non esset Deo cara hæc possessio. Ergo non fuerunt pastores, quia non custodiebant animas, sed perdebant, & circumeuntibus dominicum gregem lupis obiiciebant Christi oues. Non pastores fuerunt illi, inquam, sed* lupi. *Non custodes, sed* proditores

tores & fures. Sigillatim *Iulium II*, cui Leo ante quadriennium successerat, tamquam *exitiosissimorum bellorum auctorem* infectatus est (c). Neque vero Leonem tantam libertatem grauiter laturum, neque reiectum antea a Pontificibus, quia

H 5 ve-

(c) *sexdecim*, eaque longe acerrima, *in* eumdem *Iulium* confecit Huttenus *Epigrammata*, priori *Operum Poetic.* parti inserta: quorum vno hanc cum posteritate communicauit eius *imaginem*:

Qui chalibe & duris amicitur Iulius armis,
Terribilis barba, terribilisque coma.
Cui toruos horrore oculos frons occulit atrox,
Tartarea ignescunt cuius in ore minæ.
Ille, inquam, gladiis, atque occidente sagitta,
Et terra populis, & metuendus aquis,
Qui trucibus reges terrarum innexuit armis,
Qui tetrum excito seuit in orbe malum.
Ille tot exitiorum, & tanti criminis auctor,
Quo se cum populis imminuere duces;
Quique manu, quique ingenio dira omnia patrat,
Natus in humanum pestis acerba genus.
Cuius opus mors est, turpissimus otia luxus,
Qui pacem cunctis abstulit, arma dedit:
Ille, inquam, talis quum vita & moribus extet,
Dissimilis Christo, dissimilisque Petro.
Quid facit, aut quid habet, quod tantum dicere possit,
Dignum Romani nomine Pontificis?

verum audire noluerunt, damnatumque istum Vallæ libellum ex tenebris in lucem proferendi consilium improbaturum, sperabat Huttenus: quem ipsi Leoni dedicandum decreuisse se, adfirmabat, vt testatum esset, quam *ipso Pontifice renata libertate, verum dicere licuerit tandem omnibus, verumque scribere.* At Leonem æque veritatis impatientem fuisse, ac priores Pontifices, probe deinceps sensit Huttenus; vtpote cui ab ipso hoc Leone propterea, quod verum dixerat, verum scripserat, sicam istam, tot veritatis testium sanguine cruentatam antea, intentatam esse, audiemus. Neque vero dubito, quin Huttenus blandissime Pontificem appellando verum dicere voluerit; non talem, qualis tum exstiterit, sed qualis exsistere debuerit, fingens eum atque collaudans. Vehementer de reliquo Maiorum nostrorum pœnituit Huttenum, qui ita obtusi fuerint, vt captio eos fefellerit, pueris etiam cognitu facilis. atqui eo maiori odio Pontificum fraus digna isti visa est, quo deterius ii simplicitate *Germanorum* abusi sint: quandoquidem his, velut homi-

nibus,

nibus, qui cerebrum tum non habuerint, atque ita ingenio vsi non sint, persuadere non dubitarint, *Occidentis imperium vna cum vrbe Roma, gentium domina, a Constantino sibi concessum esse.* *Solos* quidem *Germanos* tales a Pontificibus existimatos esse, quibus imponere possent, ex eo collegit Huttenus, quod nulli ex Imperatoribus, antequam ad Germanos translatum sit imperium, fraudem ausi fuerint intentare.

Anno XVIII in Galliam abiisse Huttenum, ex Epistola *Guil. Budæi* ad *Erasmum* scripta didici (d): vtrum is primum in Galliam tum accesserit, confirmare non audeo. Antea quidem regnum hoc peragrasse iam Huttenum, ex eo coniicere quis forsitan posset, quod *ærumnosæ suæ per Europam peregrinationis* mentionem fecerit, annis commemoratum modo antecedentibus susceptæ: & quod non in ipsa solum ad *Pirckheimerum* Epistola, *se & terra & aquis frequenter in discrimen deuenisse,* confirmarit, sed dudum ante conquestus sit,

Sæpe malum terra, sæpeque passus aqua.

Sed

(d) ep. inter *Erasmi* Ep. CCCIV p. 298.

Sed vtvt eſt, *Gallis* æque ſe probauit noſter, ac Italis ante hac probauerat ſe. *Virum feſtiuum* eum & illi habuerunt *atque comem, qui nobilitatem generoſitatemque præ ſe ferret* (e). Eiusdem anni *menſe Februario*, Gallia iam relicta, *Moguntiam* ſe contulit: vnde ipſius huius vrbis Archiepiſcopi ac Electoris *Alberti aulam Auguſtam Vindelicorum*, vbi commorabatur tum ſecutus eſt (f). Illorum igitur Huttenus, quos in aulam hanc ex Italia reuerſum eum allexiſſe, cognouimus, conſilio parebat; illorum, qui in *Maximiliani* Imperatoris aulam inuitatum eum iuerant, voluntati minime obtemperans.

In iſta *Alberti aula* quum, vti ipſe de ſe loqui conſueuerat, *exerceretur*, varias, quantum per negotia licuerat, confecit *lucubrationes*. Serio enim cum Muſis in gratiam redire tum cogitabat: quas tamen non ita iratas ſibi eſſe poſſe, arbitra-

(e) videatur eadem epiſtola, & quæ hanc ſequitur: qua ſcilicet *Budæo* reſpondit *Eraſmus*.

(f) *menſe Februario* diuertiſſe Huttenum *Moguntiam*, ex eadem *Eraſmi* epiſtola, qua *Budæo* reſpondit, videre eſt.

trabatur, ob *necessario admissum* antea *superbi Martis studium*, & quod *eæ sæpe prius in castris inter armorum strepitus cum ipso pernoctaverant* (ff) Illo ipso tempore, quo vna cum Principe suo Alberto *Augustæ* versabatur, *ad Principes Germaniæ Exhortationem* conscripsit: quæ vero in lucem prius, vt infra intelligemus, edita non est, quam CæsarisScribæ exemerant nonnulla; propterea quod liberiora quædam, quam ætas ferre videbatur, inerant. Ipsius quoque *Nemo*, genere elegiaco compositus, mense *Augusto* ibi *reuixit* (*): cui verbosam eamque libere admodum *contra*

(ff) spondebat id *Hermanno Nuenario* in longa ista epistola, quæ *Moguntiæ III Non. April.* eiusdem XVIII anni scripta, separatim excusa prodiit.

(*) an. 1516, d. 24 Octobr. quum tertium in Italiam abiret Huttenus, scripsit iam ad *Erasmum*: *Videbis editum a me Neminem, Carmen non omnino contemnendum forte, in cuius præfatione tui, vt decuit, memini honorifice.* & *Erasmus* ep. CCCXVII an. 1518, d. 18 Maii ad *Thomam Cardinalem* scripsit: *Pridem lusit Huttenus librum cui titulus Nemo: nemo nescit argumentum esse ridiculum: meum esse dictitabant Theologi Louanienses, qui sibi videntur plusquam lyncei.* colligo ex his, *Neminem* anno iam 1516 comparuisse, priusquam an. 1518 *Augustæ* reuixerit, siue distractus, siue exstinctus.

tra Theologistarum Bartolistarumque mores ad *Crotum Rubianum* suum scriptam *præfationem* præmisit (g): cuius initium, *argumentum Carminis* dilucide explicat: *Accipe igitur hoc tibi Nihil, Crote, quod toto anno scriptum a me conquestus es, idque in episto-*

(g) separatim prodiit, nec loco nec anno impressionis adiecto: subiuncta ad *Iulium Pflugk* epistola *Augustæ Vindel. IX Kal. Septembr.* scripta est. Prodiit etiam *Lipsiæ ex officina Schuhmanniana* in 4, verum nec huic editioni, annus, quo typis est exscripta, additus est: coniunctim quoque inter *Opera Poetica Hutteni* Q. 5, b. seqq. editus. Aliis aliorum deinceps carminibus adiunctus lucem sæpe adspexit hic Nemo, *Eob. Hessi Exegoriæ in Ebrietatem* & *Hutteni de Arte versificandi* Carmini accessit *Norib.* an. 1531. accessit etiam an. 1613 *Io. Reuchlini* comœdiæ, cui tit. *Scenica Progymnasmata*, & nonnullis *Antonii Tunnicii Monasteriensis* Carminibus. Primum porro locum occupat inter *Lusus Poeticos excellentium aliquot ingeniorum*, coniunctim editos, collectore *Alberto Molnar Vngaro Hanov.* an. 1614, 8. Verum tribus postremis his editionibus, vtraque ista egregia Hutteni ad *Crotum Rubianum* & *Iulium Pflugk*, epistola addita non est. quæ tamen omnium, quantum noui, postremæ editioni accesserunt, quæ *Leydæ* prodiit an. 1623, 12, hac insignita inscriptione: *Huldrici Hutteni Equitis Germani Satyra, Nemo, de ineptiis sui sæculi studiis, & veræ eruditionis contemptu.*

ſtola tua, quodam quaſi Tragico ploratu vicies repetis, quaſi qui Nihil eſt, ab eo aliquid extorquere liceat. At nunc ipſum illud Nihil ad te mitto, & ita mitto, vt Nemine perferente accipias. Quocum enim rectius Nihil, quam cum Nemine, verſatur, quum Nemo nihil ſcribat ac faciat? Sed iam noſſe vis, vnde hoc repente commentum? Ex peruerſa, Crote, hominum opinione, ſimul tua Tragica epiſtola. Nam vt tu nihil a me ſcribi quereris, ita ſunt homines, qui, ſi quid ſcribas etiam aut facias, & ipſum illud, & te auctorem Nihil dicant. In ea tempora incidimus; in id vulgi iudicium ſuccumbimus. Si adhuc, quid ſibi hoc velit Nihil, dubitas, priora reuolue, ac quædam, vt contigerunt, in memoriam reuoca. Periculum feciſti mecum, quid mereantur, qui optima ſtudia ſtudioſiſſime ſectati ſunt. Nempe vt Nihil didiciſſe, & ipſi homines Nihili dicantur propalam. Extrema ſere præfatione *Rubianum* ita adhortatus eſt: *Quodſi tibi videtur, & in ea es ſententia, vt magnopere non cures, quid iſtiusmodi probent iudices; perpetuo erimus Nihil: ac ſuauiter interdum ridebimus hominum mores. De me ſic habe: certum eſt non obſequi his, qui me* Doctorem *eſſe volunt. quorum proxime quidam,* adde, *inquit,* nomen rei. Si poſſem,

ſem, *reſpondi*, rem poſtea nomini. *Nec illos moror, qui mihi nulla virtutis opinione, ſed pretio quæſitis titulis præferuntur. Ac libenter Nihil ſum, vt ne in hoc impingam ambitionis ſtudium, & vel latum digitum ab inſtituto diſcedam meo.* Elegantem & lectu quam digniſſimam ipſi *Nemini* ſubiunxit *epiſtolam, ad Iulium Pflugk* in Italia commorantem perſcriptam. qua certiorem eum fecit, quid in *Auguſtano* iſto *Conuentu*, eodem *XVIII anno celebrato*, vſque ad *IX Kal. Septembr.* actum ſit. *Certe*, ſcribit inter alia, *iucundiſſimum heic omnibus ſpectaculum ob oculos verſatur. Tot Principes iuuenta ſimul & corporis ſpecie præſtantes, tanta Comitum ac Equitum multitudo, flos ſcilicet Germanæ Nobilitatis, vt, qui hos intueatur, formidandos magnopere Turcas non putet. Quod ſi hodie tantum cerebri eſt Germanis, quantum virium, auſim orbi terrarum minari iugum. Faxit Deus Opt. Max. vt ſibi conſulant hi, a quorum conſiliis omnia pendent. Quid aliud optare enim debemus, quam vt nunc maxime agnoſcat ſe Germania? Agit hic legatus ſummi Pontificis, in cuius mandatis eſt, excitare in Turcas bellum. - - - Fœcundus eſt hic conuentus. Nam & Regem Romanorum parturit, & meis litteris, ac ſua*

ſua virtute clariſſimum per Germaniam Principem, Albertum *Archiepiſcopum, fecit Cardinalem.* *ac* Chriſtophorum *Brunſuigum in Archiepiſcopatum Bremenſem extulit, & Caſimiro Marchioni ex nobiliſſima Bauarorum domo nuptam conciliauit. - - - Quod mihi ſumme placet, minori apparatu noſtri, quam ſoliti ſunt aliis conuentibus, agunt, ſiue ob annonæ difficultatem, ſiue quod in multis mihi reſipiſcere Germania videtur. Quamquam eſt adhuc mira veſtium luxuria, a Gallis ſumpto exemplo, quos præter patrium morem æmulari in hoc certamus. Et ſtrenue bibitur, nondum ſanitatem accipientibus, qui rectis ſemper monitionibus reclamare ſolent. vt bene agantur omnia, obſtinatiſſime ſtudet Cæſar. - - - Sed ad illud iterum venio Principum decus* Albertum. *quod præter Romanum morem factum omnes putant, gratis illi miſit galerum, & purpuram Leo X, tam ob perſuaſas ſibi multorum commendatione hominis virtutes, quam vt gratificaretur, puto, Cæſari, qui Alberto mire fauet. Damus hoc pietati ipſius & propenſo in bonos omnes ſtudio. Kal. Auguſti galerum ſumpſit ille, apponente legato Pontificio. Iucundum fuit id ſpectaculum, maxima nobilitatis frequentia facto ſacro, ac ingenti omnis generis hominum circumfuſa multitudine.*

Ipſe Cæſar a ſacris domum reduxit Albertum: deinde munera miſit, regiam lecticam, equos, & tapetes opere ſimul ac materia admirabiles. Iuxta hæc Leonis Maximi donum, gemmis, auro, ac margaritis intextum pileum, & enſem deaurata vagina. Sequentibus aliquot diebus Magnates officium fecerunt, ad illum venientes congratulando, ob noui honoris acceſſionem. Deus bene vertat, ac ſpem foueat meam.

Compoſuit porro Huttenus Auguſtæ *Henrici Stromeri Aurbachii* hortatu *de Aula Dialogum*; duobus tribusve menſibus, ex quo Neminem iſtum ſuum emiſerat, interiectis, ibidem diuulgatum (h). poſt-

(h) *die XVII Septembr. ex officina Sigiſm. Grimm, Medici, & Marci VVyrſung.* in 4. in fine verba leguntur ſequentia: *Exſpectare te iubemus, lector, ab eodem Hutteno elucubratum τῆς μέθης ἐγκώμιον, id eſt, Ebrietatis Laudem, opuſculum modis omnibus facetum atque perurbanum, quod propediem his eisdem typis excuſum in lucem dabimus. Vale.* De *Aula Dialogus Lipſiæ* quoque eodem anno 1518 *ex ædibus Valent. Schuhmann* prodiit eadem f. Integrum Dialogum *Henr. Petreus Herdeſianus aulicæ Vitæ & oppoſitæ huic Vitæ priuatæ a diuerſis auctoribus luculenter deſcriptæ* inſeruit: quod *Enchiridion*, vt inſcribitur, prodiit *Francof.* an. 1577, 8. & ib. an. 1578,

poſtquam illuſtris quoque *Nuenarius* de *aulica conſuetudine*, quum amicorum blanditiis in hanc immergi ſe paſſus eſſet, quædam ei paullo ante *obiecerat*: de quibus, dum non epiſtolam, ſed ſermonem potius, aut volumen deſiderare videbatur argumentum, ſe purgaturum ipſi, promiſerat, quum paullo plus otii nactus fuerit. quod promiſſum tum ſimul præſtitit (*). Is autem omnino videtur exſtitiſſe *Stromerus*, cuius ſingularis amor, quo Huttenum proſequebatur, hunc in *Alberti* Principis *aulam*, in qua *Medici* fungebatur munere, inprimis pellexerit. Tam aperte nimirum fauebat Stromerus Hutteno ac omnibus meliorum litterarum cultoribus, vt ab his

1578, ead. f. cui poſtremæ editioni *Ant. a Gueuara de Vitæ aulicæ moleſtiis priuatæque commodis* acceſſit. *Balthaſ. Caſtilionis Comitis de Curiali ſiue Aulico Libris IV*, ex Italico ſermone in Latinum conuerſis a *Barthol. Clerke*, *Anglo*, adiectus eſt *de Aula Dialogus Guil. Inſulani Menapii: in quo partim refelluntur & deriuantur, partim attenuantur criminationes in Aulam Aeneæ Syluii & Vlderici Hutteni*, *Francof.* 1606, 8.

(*) promiſerat id citata paullo ante epiſtola ad ipſum *Nuenarium* ſcripta.

summus *Mæcenas* coleretur, qui ipsos in Principis sui gratiam ponere haud fugitarit. Is etiam fuit *Stromerus*, qui anno priore *Aeneæ Sylvii Libellum Aulicorum miserias copiose explicantem* ediderat, eximia ei præfixa *præfatione* (i). Quando ille Hutteni *de Aula Dialogus*, quem *non omnino contemnendum* esse arbitratus est auctor, ipsius ad *Bilib. Pirckheimerum*, quam de integro foras ego in præsenti do, *Epistolæ* dedit materiam, non possum, quin luculentam oppido *præfationem*, qua Dialogus laudato modo *Stromero* inscriptus est, integram

(i) *excusum per Ioannem Schœffer, Typographum sane quam accuratum, Moguntiaci, vbi diuinum inuentum stanneis typis excudendi libros primo natum, pridie Nonas Iulias, anno post Christi natalem 1517*, 4. *Præfatio*, qua *Aeneæ Sylvii* libellum *Georg. de Breytenbach*, *Alexandro de Czwem I. V. Doctoribus, Iulio Pflugk Missenensi Canonico, & Sebastiano Rothen Aurbachio* nuncupauit Stromerus, digna mihi visa est, quæ hodieque legatur; præsertim quum *Henr. Petreus Herdesianus* in citato *Enchiridio*, cui & *Sylvii* opusculum inseruit, eam omiserit, Lectori haud ingratum fore, existimaui, si istam appositurus essem: ex qua patebit, eadem plane Stromerum de *Vita aulica* sensisse, quæ Huttenum de hac iudicasse, intelliget Lector. *Superioribus die-*

tegram adſcribam; quo & ipſum argumentum, & de hoc commentandi occaſio, natura inſuper ac conſuetudo auctoris magis magiſque pateſiat. *Næ tu rem mihi periculoſam ſuaſiſti, Stromer, de* Vita aulica *vt ſcriberem, hoc potiſſimum tempore, quo, tot agentibus heic Principibus, tanta eſt aulicorum frequentia. Quaſi vllo modo tutum ſit, has ſpinas contrectare: aut conſultum eos irritare, quibus etiamſi blandus ſis, non admodum placeas. Et dic mihi, amiciſſime hominum, quid te iuuit, in hoc diſcrimen adducere amicum? nec in mentem venit, cui me furori obiicias, contra quam rabiem*

diebus, vbi Auguſtam cum reuerendiſſimo Archiepiſcopo, ac illuſtriſſ. Principe noſtro ad Cæſaream veniſſem maieſtatem, quod mihi omnium maxime fuit iucundum, offendi illic Gaſparem Vrſinum Sleſium, *hominem non minori eloquentia, atque humanitate præditum; reuerendiſſimi Cardinalis Gurcenſis a ſecretis, qui aliquot ante annos Liptzſi, etiamdum adoleſcens, Græcam litteraturam publice non ſine magna & ſua laude & auditorum fructu profeſſus, æque ſuaui ac continenti conſuetudine mihi fuerat coniunctus, cuius vicem vel ob hoc indolui, quod videbam hominem alioqui ad recta ſtudia egregie natum, bonis litteris ceciniſſe receptui, atque ob rerum inopiam, ad neceſſitatem ſummam redactum, tum ſpe indipiſcendi alicuius a principe ſacerdotii, in eorum tribum, quos aulicos*

rabiem excites, præsertim aulicum & ipsum nuper factum? vt in aula iubeas me aulam offendere, & quod dici solet, ἐν φρέατι κυσὶ μάχεσθαι. Quid restat aliud igitur, nisi vt me ob istas nugas, non in nostra quidem aula, in qua tuta ac tranquilla sunt omnia; verum vbivbi negotium incesserit, vt apud hos rerum dominos agendum sit; ex stipatoribus vnus cubito protrudat, aut inflicta calce, præcipitem eiiciat: deinde fiducia plenus, facti rationem reddat, ac caussam tueatur; quam mihi impugnare non vsque quaque opportunum sit: demum ad palinodiam quoque adigat, quam nisi mox promisero, dentes

licos vocitamus, descendisse. Quid multa? accepi hominem cæna, quo mihi & longius esset cum illo colloquendi tempus, & suauissimam inter nos consuetudinem, multorum annorum spatio intermissam, renouarem. quo in loco quum in varios, vti fieri assolet conuiualibus sodalitiis, deuenimus sermones, tum de vitæ aulicæ ratione *(si modo ratio in ea est vlla) siue instituto, ac potius ærumnis, molestia, & dispendio copiose, & festiuiter ad multam vsque noctem disseruimus. Aderant porro complusculi alii sympota, vtriusque coaulici, viri & probi & suaues. Sane mea quidem sententia, quæ a* Luciano *eo libello, qui de* conductæ seruituti adstrictis *inscribitur, recensentur, tum quæ ab* Aenea Senensi *verissime, ac postremo ab* Erasmo Roterodamo, *viro vndecunque doctissimo, in hoc hominum*

tes amisero? Nisi tu contra aulicam vesaniam habes medicamentum, aut iam parasti helleborum, quo furentes illos inebries. Quod si est, quaeso in tempore consilium cape, vt venienti malo occurras. Sed vereor, ne in medicina non tantus sis, vt hominum adfectibus mederi scias. Et iam mihi caput, mihi os, mihi malae trepidant: ac aliquem videre videor ex Gigantibus regiis, pugnum sex librarum stringere, quem iamiam in buccam mihi impingat. Quod vbi fiet, tum vereor, ne tu in sinum interim rideas, & pro ludo ducas, mihi alapas infligi, os obuerberari, dentes excuti. Et fortasse mortis caussa si mihi

 fueris,

num genus, scite quidem & eleganter, detorta perscriptaque lectitantur: eorum nihil, quin expromeretur, fuit praetermissum. Enimuero nata huiuscemodi disputatio fuit ex prouerbiali apud nostrates dicto: Diuturna aulica seruitus, diuturni inferorum cruciatus. *Quandoquidem quaecunque* apud Acheronta poena, & tormenta *passim a poetis esse memorantur, nimis quam vere in aulicorum statum congruere videntur. In aulis Principum (bonas semper excipio)* Sisyphi saxum, Ixionis rotam, famem Tantali, Promethei vulturium, Phinei Harpyas, dolium Danaidum pertusum, Titanum fulmen, Aloidum cruciatus, Salmonei tonitrua, *ac multa id genus, aeque dira ac grauia, tormenta est inuenire. denique in hoc ergastulo mortalibus accidit, quod illis, qui apud in-*

fueris, non magni facies, quod Clericus non sim; vt illo te sagittent Canone Ecclesiastic. Patres: si quis suadente diabolo. *Verum heus tu, hominem esse memineris; idque satis existima, quod tibi iratum Deum reddat; quandoquidem sic ille dicit:* Quod feceritis vni ex minimis meis, mihi feceritis. *Vin Deum igitur prodere, quum hoc facias, si me aulicis similis discerpendum tradis? Quaeso rem intuere, ac considera, quam non deceat, sero sapientem te illud,* non putabam futurum hoc, *praetexere. Credis enim, non vehementer quosdam succensere mihi ob hoc nugamentum?*

inferos detinentur. Nempe eis aulam intrandi facultas datur, egrediendi vero denegatur, quum paucissimi, vix vnus & alter, quasi longe ab exsilio reduces, ad tranquilliorem vitae statum perueniant. Dii boni, quam multis, mille exantlatis laboribus, totidemque periculis impendentibus, ad restim res postremo redit. Proinde eamdem vitam esse aulicorum cum inferorum poenis, facile vnusquisque sibi, vel qui in ea naui nondum, aut saltem non diu, fuerit, persuaserit. Verum quod nonnulli existimant, meo iudicio profecto nimis seuere, aulicis post huius vitae functionem, tantum abesse, vt fiat malorum cessatio, vt etiam diris illis & sempiternis cruciatibus plectantur. id vero dictu paene est iniquum, & creditu difficile, siquidem hic suos quisque patitur manes. Ceterum haec non

tum? aut eam esse in aula moderationem, vt qui sic commoti sint, contineant sese? Praeterea memento, aliquos esse, quibus iam ante auersa fuit studiis mens: hi exsilient, ac arma & equos poscent, his ferme verbis: Hoc ille feret impune Scriba? *Nosti enim, quantum litteratis detractum putent, quando* Scribas *vocant; nobis contumeliam minime agnoscentibus. Qui vt stultus sit metus, vulgatum hoc tamen est. occasione tantummodo opus improbitati. Sed iocatum satis est. Per miras, Stromer, difficultates, vt tibi obsequerer, eundum fuit. Primum Canicularibus, infesto studiis tempore, ingenium*

non eo a nobis dicta fuerint, quo omnium Principum aulas sub hanc censuram videremur rapuisse. Nam exstitisse aliquos, apud quos clemens & iusta seruitus frugi hominibus fuerit, hodieque sit: nihil enim horum, quae dicta sunt, in reuerendissimum ac illustrissimum Principem ac Dominum, Dominum ALBERTVM *Archiepiscopum Moguntinens. & Magdeburgens. Electorem Imperii, Primatem Germaniae, Marchionem Brandenburgensem &c. Dominum meum clementissimum, conuenire certum est, cuius quum natura optima, optimis disciplinis sit exornata, quid se deceat, & nouit bene, & sua sponte perficit. hinc fit, vt ob innumeras suas virtutes, quae in Christiano Principe & Episcopo desiderantur, non modo ab aulicis suis, verum etiam ab omnibus, qui cum eo aliquid consuetudi-*

quum exerceam. deinde in hoc Germaniæ nobilitatis conuentu, in quo ita turbis referta sunt omnia, vt nemo satis meminisse, quid suum sit, queat: in quo nulla quies, nullum silentium, nulla tranquillitas, ingentes tota vrbe motus, vociferationes, tumultus, equitationes, strepitus, clangores, equorum hinnitus, plaustrorum stridores, bombardarum tonitrua, tubæ, concentus, saltationes, ac plausus. Quæ me quum circumstent, & paucis diebus absolui negotium postulent; ac nihil interim cessare obeundis in aula officiis liceat: aliquid arbitraris in hoc Dialogo futurum, quod his placeat, quibus vt placeamus, stu-

tudinis habent, ametur, obseruetur, colatur & laudetur, nec immerito; siquidem omni præconio est maior, &, vt vere simul & scite Erasmus Roterodamus ait, vir immortalitate dignus. *Idcirco merito nos præ ceteris mortalibus beatos esse censuerimus. siquidem sub sanctissimo potentissimoque Principe, quæ in seruitute mala sunt, quæ ingruunt incommoda, quæ molestiæ exuberant, quæque in discrimina miseri mortales coniiciuntur, qua in malorum lerna desudant, & maiore ex parte tandem opprimuntur: nos in portu harum rerum omnium securi, alios perclitabundos veu vasto in Aegæo contuemur. Quocirca vt nostra vobis felicitas, calamitate aliorum perspecta, foret exploratior,* Aeneæ Syluii *libellum, qui* Miserias aulicorum *graphice nimirum, & ingenue explicauit, nobisque calami-* *tosum,*

ſtudere debemus? Ede tamen, inquis, vt te heic eſſe homines cognoſcant. Erras bone Stromer. Neque enim tanti eſt, in hominum oculis ac auribus verſari me, vt ob id inconſideratius aliquid, & cui non prius limam admouerim in lucem edam. Placuit, ais, Peutingero, *viro, vt grauiſſimo, ita egregie docto, & naris emunctæ; &* Iacobo Spiegel, *regio Secretario, raræ homini doctrinæ, & iudicii ſingularis; ac* Stabio *placuit, feſtiui admodum ingenii, & minime fucatæ eruditionis viro. Vt dicam, quod ſentio, commouiſti me his auctoribus. quamquam verendum, ne per amicitiæ ſtudium, ex fa-*

toſum illud mortale genus, quaſi exſculpſit, typis litterariis excuſum, vobisque inter humanos doctiſſimis, & inter doctos humaniſſimis, ac vere nobilibus viris, nuncupatum in publicum edere conſtitui, quem vt perlegatis, vbi a feriis negotiis feriati fueritis, etiam atque etiam vehementer vos hortor, & rogo. quippe qui magnam hoc legendo voluptatem percipietis, & gratulabimini, quum, quæ vitia, quæ flagitiorum annona, quæ anxietates, miſeriæ, ærumnæ, qui ac quanti denique cruciatus, animis multorum aulicorum inſident, atque eos lancinant & excarnificant, vos a regum aulis ſeiunctos, immunes deprehendetis, dicetisque, lecto Aeneæ libello, aulicam vitam quis neſcit ærumnarum plenam? *potiſſimum eorum Principum, quibus, quod libet, licet: niſi vel inexpertus, vel certe ſtul-*

fauore potius laudent hi, quam ex iudicio probent. Verumtamen peruicisti tu, atque ecce tibi Aulam in aula: *sed in ea aula, in qua ista facere licet, & quæ, nisi talis esset, nos non caperet. Sic enim iudico, Stromer, simpliciores esse nos, quam aulicorum consuetudini aptum sit. Itaque gratulandum interim nobis inuicem, quos ibi exercet fortuna, vbi non magnopere nostri nos status piget: sub illo scilicet, omnium, quos hæc natio habet Principes, benignissimo, humanissimoque* ALBERTO *Cardinali & Archiepiscopo: qui quum maximo virtutum omnium teneatur studio, & singularis probitati ami-*

stultissimus. Deum immortalem, quæ illic quam diutina, quam indigna seruitus perferenda! quanta sollicitudine ambienda Principis gratia: eblandiendus fauor eorum, qui vel nocere possunt, vel prodesse, fingendique vultus subinde noui, mussitanda iniuria potentiorum, & reliqua id genus, quæ Aeneas, multis annis inter aulica detritus, paullo vberius, quam elegantius, explicat. Verum ne vos disertissimos viros meis inelegantibus nugis diutius morer, vela complicabo, & Aeneam mutum magistrum vestris humanitatibus perlegendum tradam. Valete, viri morum integritate, ac non vulgari eruditione clarissimi, meque vestris nobilibus amplissimisque familiis, ac bonarum artium cultoribus commendatum reddite. Moguntiaci *VI Kal. Iulias anno supra natalem dominicum 1517.* Extremo

amicus ſit ; inprimis tamen bonarum litterarum ſtudia eorumque adſertores reuerenter ſuſpicit, ac liberaliter fouet. Quis enim nunc recte per Germaniam eruditus eſt, quem ille non norit? aut a quo tali vmquam ſalutatus eſt, quem non largo munificentiæ ſuæ imbre conſperſerit? atque vt ſollicitus nuper fuit, ne quid ſe indignum pateretur bonus Capnion? *vt cupide litteris ad ſe vocauit* Eraſmum? *Cuius etiam nomini ſolet honorificam ſemper præfationem adiungere: & a nobis crebro percontatur, ex docte doctis, quid quisque faciat, quid patiatur. Quæ quum ita ſint, & omnino liberior ſit nobis aula, quam in-*

qua

mo libello Lectorem Stromerus ita adfatus eſt: *Candide lector, offendes, vt auguramur, offendicula & leuiuſcula monumenta quædam in hoc Aeneæ libello, qui antequam ei limam emendationis obducebamus, innumeris ſcatebat erroribus. eumdem nocte, aliis plerisque coaulicis noſtris, genio indulgentibus, ac poculis certantibus, quando medicæ lectionis (cui alioqui totam impendimus operam) nos capiebat ſatietas, animi recreandi refocillandique gratia, & legimus & correximus. Verum, ſi tibi ad amuſſim non ſatisfecerimus, nulla te capiet admiratio: porro in cauſſa fuit, & temporis & librorum inopia; ſiquidem vaga aulica vita, nobis noſtrorum voluminum ſupellectilem eripit: tum conſulto quædam corrigere noluimus, ne videremur ſequi eam ſententiam, quæ magis nobis, quam vero au-*

qua libere aliquid iocari periculum sit. ecce tibi Dialogum, *quem iubeo* Speculi vice *propositum esse aulicis istis, in quo se intueantur. Quamquam inuidiam deprecor, lusum est enim, ioco scriptum est, ne quis temere in nugis moueatur. Tum veniam meretur* Misaulus, *tædio aulicæ consuetudinis impatientius forte, quam pro tempore inuectus: Id quod pro me illis inculca, & iam colloquentem cum* Misaulo Castum *audi.*

Quum audiuisset *Castum* cum *Misaulo* colloquentem *Bilib. Pirckheimerus*, pro laudabili sæculi istius simplicitate ac candore, & pro singulari, quo Huttenum complectebatur, amore, suum *de Dialogo* ipsius *iudicium* in *epistola* hac aperte ei perscripsit (k). *Aulam tuam legi, ac relegi qui-*

auctori placeret. adde pleraque emendata impressorum incuria, nobis absentibus, esse vitiata. Quapropter ab humano eruditoque lectore, cui aliquid castigandum reliquimus, veniam nos facile impetraturos speramus, maleuolos vitilitigatores, ac infames famicidas, singula in deteriorem interpretantes, partem flocci facientes. Vale optime lector & boni consule.

(k) quam deprompsi ex *Pirckheimeri* Oper. p. 251, vbi in *Epistolar. familiar.* Libr. Miscel. est III. Appen-

quidem, ἀλλὰ μὴ ἀγέλαστος. *Sed tu me iudicem statuis, & ex animi sententia iudicare imperas? Quid igitur faciam* γελαστῖνος κριτής; Num πρὸς ἀλήθειαν, ἢ πρὸς χάριν δικάσω; πρὸς ἀλήθειαν, *sat scio, inquies. Parebo igitur: sed tu videbis, qualemnam iudicem constitueris.* Ἄρξω γοῦν: *verum tu ne mouearis.* Immatura res mihi tua videtur Aula. Ἀνέχου. *nondum dixi verum. verbo rem appellare nolui, scilicet vt nonnihil amicitiæ tribuerem. Quid enim si* intempestiuam *nominassem? Vt interim* procaciam *omittam, veluti* θρασύτητα, λαμυρίαν, *& reliqua id genus verba. Sed non nimis aspere cum amico agere volui. Si blanditias* καὶ κολακείαν *expetis, alium deinceps quærito iudicem,* ὃς κέρκῳ σαίνων *tritum illud ingeminet,* ἰὴ παιὰν, ἰὴ παιάν. *Sed* λῆρον λῃρεῖς, *inquies. Tandem quod agis, agas. Atqui num solus* φλυαφᾶν *prohibeor?* καὶ σύγε ἐμοῦ ἄκουε ἀδολεσχίας. *At nimium te detineo. Audi igitur. Tune aulica describere audes incommoda, nondum aulicas expertus* συκοφαντίας. *Quid ageres, si (vt nos) millies deceptus, circumscriptus, delusus, iniuriis, calumniis,*

pendici quoque, pag. 405, inserta est, cum forsitan ob rem, quod p. 251 minus emendata, præsertim in Græcis, fuerat exscripta.

lumniis, & innumeris adfectus contumeliis, exclusus, reiectus, vel potius eiectus esses? ταῦτα πάντα καὶ ἔτι δεινότερα *experiri oportebat, ac lustra quatuor detestandæ, ingratæ & perfidæ inseruire aulæ. Tum demum perbelle ac veris lacrimis egisses Fabulam, rem expertam potius, quam ab aliis auditam enarrans,* ὠτίων γὰρ πιστότεροι ὀφθαλμοί. *Hæc caussa fuit, mi Vlriche, quare* Aulam *tuam* immaturam *vocarim. Proinde tu quoque diiudica, num rem suo nomine appellarim, nec ne? Verum iam tecum nugari desinam. Vtinam tu, mi Vlriche, minime aulicis insenescas ærumnis; sed potius ea felicitate, qua rem tam adfabre depinxisti, etiam* Cyclopes, Centauros, Sphingem, Chimæram, Scyllam, καὶ ἔτι μυσαρώτερον, καὶ φοβερώτερον ἐστὶν, *effugias;* εὐδαιμονέστατος γὰρ ἔσῃ, *si alieno periculo sapies. Id vt tibi eueniat, etiam atque etiam opto. Etenim dignus es, cui omnes ob ingenium & eruditionem tuam innumeram bene precemur: dignus, cui digna respondeat fortuna: dignissimus tandem, qui ab omni aulica præserueris peste; tibi, amicis & Musis viuens.* γενέσθω.

Ad has *Pirckheimeri* amoris integritatisque plenissimas litteras Huttenus ipsa illa Epistola, quam dignam censui,

quæ

quæ in tabernas rediret denuo, fuſe reſpondit. Ad eamdem hanc illuſtrandam ex aliis Hutteni aliorumque ſcriptis proferre quædam conſtitui. quo hactenus a me commemorata non minus ſpectant.

* * *

pag. 1. BILIB. PIRCKHEYMER) quantus vir fuerit, non obſcure ex ipſa *Hutteni Epiſtola* colligi poteſt. Fata ac Merita eius verboſe eleganterque perſecutus eſt *Conr. Rittershuſius* in *Commentario*, quem de *Vita* eius conſcripſit, ipſius Operibus, a *Melch. Goldaſto Haiminsfeldio* anno CIƆ IƆ CX in fol. editis, præmiſſo. qui idem Commentarius patrio ſermone per *Ioannem ImHoff*, generoſiſſimum Virum, confectus præfixus eſt *Theatro Virtutis & Honoris, oder Tugend Büchlein aus etlichen fürtrefflichen Griechiſchen vnd Lateiniſchen Scribenten ins Teutſch gebracht durch Herrn Wilibald Pirckheymern &c. aus deſſelben hinterlaſſenen Bibliothec an tag gegeben, Nürmberg M DC VI, 8.* *Eraſmum* de reliquo vere poſt amiciſſimi ſibi *Pirckheimeri*

mortem, quæ in annum CIƆ IƆ XXXI incidit, de hoc iudicasse, vbi scripserit (l), *Vir, vt rectissimi iudicii, ita liberi constantisque erat animi, vel in pronuntiando, quod sentiebat, vel in exsequendo, quod instituerat*, ista, qua de Hutteni *Aula* iudicauit, Epistola satis declarat. *Pirckheimero duce primum*, eodem Erasmo iudice (*), *efflorescere cœpit apud Germanos eloquentia; quam & morum pietate & fortunæ splendore illustrauit.*

pag. 3. *in tranquillum recondere)* vt *Conr. Mutianum Rufum*, & ipsi & omnibus, qui tum viuebant, litteratis longe amicissimum virum, fecisse, nouerat Huttenus: vtpote qui (ll), missione a Principe suo impetrata, scribarum decuriæ, in qua versatus erat, inscripserat: *Valete Sollicitudines*; domui vero suæ: *Beata tranquillitas.* Quod quidem Mutiani consilium, tan-

(l) ep. MLXXXVII ad *Georgium Saxoniæ D.* qua laudes tanto Mæcenati debitas celebrat.

(*) in *Ciceroniano* p. 380, edit. Froben.

(ll) vt *Ioach. Camerarius* memoriæ prodidit in *Narratione de Eob. Hesso*, B. 4, seqq. & ex hoc *Melch. Adam.* Vit. Iureconsf. p. 27. & *VVilh. Ern. Tentzelius* in Supplem. *Historiæ Gothanæ* I p. 1. quod Supplementum eiusdem *Conr. Mutiani R. Epistolas*, *Carmina & Elogia* continet.

tantum abest, vt improbarit Huttenus, vt *Eitelwolfum de Lapide*, cuius summam prudentiam, vt supra intelleximus, numquam non suspexerat, id secuturum fuisse, docuerit (m); siquidem litterarum studiis horumque cultoribus consulturus, quieti se tradere, ac omnem aulicæ consuetudinis molestiam exuere paullo ante obitum suum cogitauerat. Censebat tantum Huttenus, consilium eiusmodi, si iam tum ab se iniretur, reprehendi ac præproperum videri posse; verebatur simul, ne animus ipsius in iners ac desidiosum otium præceps coargueretur tum, quum neque rerum gestarum vacatio, neque ætatis excusatio a labore ipsum vindicare adhuc posset.

pag. 5. *illi mei per Germaniam amici)* istorum numero fuit laudatus modo *Mutianus:* de cuius silentio in litteris ad *Eob. Hessum* datis (n) ita conquestus est: *Quid ille istic vero Mutianus? in totum, credo, ex amicorum suorum albo Hutteni nomen ademit, ita* nihil

(m) in epistola ad *Iac. Fuchs Bamb. & Herbipol. Canon.* supra iam cit.

(n) quæ reperiuntur inter *Eob. Hessi* Epistolas famil. *Marpurgi* an. 1543 fol. edit. p. 288.

nihil ſcribit, nihil ſignificatione etiam vlla teſtatur, quod non iratus mihi ſit. quod neſcio, an ille decreuerit, ſiniſtra aliqua ſuſpicione, aut perditi alicuius delatione inductus. Ego certe hominem reuerenter ſemper colui, & nunc, vt meretur, ſtudioſiſſime veneror & amo. Salutate ex me reuerenter, & ne ex Mutiano mutus ſit, admonete. Scribam illi, vbi primum nactus fuero tabellarium. Vos, amici, Huttenum veſtrum diligite, ac Mutianum, & quotquot iſtic ſunt docti & humani, ex illo ſalutate. iamque valete. Moguntiæ.

pag. 6. HERM. NOVAQVILAREM COM.) *Nuenarius* plerumque, item *Neaetius, Novæ Aquilæ* ſ. *in Neuwenar Comes* appellatur. *Canonicus* primum, deinde *Præpoſitus ſummi Colonienſis templi. Mauritius Comes de Spiegelberg* ſumma cura in optimis litteris inſtituendum ipſum a puero curauerat, in Italiam eo nomine illum ablegans. quas in omni vita ſua tam diligenter is deinceps coluit, vt aduerſus indoctæ doctrinæ ſuperciliosos profeſſores Herculem prorſus ageret. Is ipſe eſt, qui *Eginhartum* primus edidit, de *Ori-*

Origine Francorum docte ipse commentatus (*).

pag. 7. *adhuc* CAPNIONIS *caussam mordicus teneo)* Nec fieri aliter potuerat. Nam, quum Huttenus strenuum meliorum litterarum præbuisset se adhuc vindicem, *Capnionis* siue *Reuchlini* simul caussa, qui pro iisdem litteris a *Theologistarum furore* vindicandis in existimationis vitæque dis-

(*) de doctrina non minus, quam genere illustri *Nuenario* consulantur *Erasmi* Ep. p. 372, 1678, *Ioach. Camerar.* Epistol. famil. lib. I, ep. 12, seqq. *Herm. Hamelmanni* Oper. Hist. p. 322, *Henr. Meibomii* ad Saxon. infer. Histor. Introd. p. 90. Præfatio cl. *Io. Herm. Schminckii Eginharti* de Vita Caroli M. edit. *Vltraiect.* an. 1711, præm. quem auctorem Nuenarius an. 1521 primus edidit. cuius *de origine Francorum* Narratio, & luculenta ad Carolum V Imp. dedicatio *de Francorum Imperio*, indicatæ Eginharti editioni a cl. *Schminckio* sunt subiectæ: postquam an. 1684, in 8, *Ienæ* cum *C. Peutingeri Sermonib. Conuiualib.* & aliis clarissimorum virorum historiam illustrantibus monimentis a cl. *Georgio Schubarto* diuulgatæ denuo fuerant: hic enim elegantissimam istam præfationem adiecisse dicitur. De reliquis excellentissimi huius ingenii monimentis conferatur *Gesneri Bibliotheca* p. m. 285. Quantum vindicatæ a barbarie litteræ Nuenario Comiti debeant, & ego summatim exposui in meis de *Latinæ Linguæ in Germania Fatis* Comment. p. 331 seqq.

discrimen dudum se obiecerat, magnopere omnia vellet, necesse erat. Quid? quod, vt quisquam bonarum litterarum ætate ista amantissimus erat, ita impensissime Reuchlino huic studebat, qui omnem Germaniam immortaliter sibi devinxit eo, quod primus *Græcarum* & *Hebraicarum* litterarum studium in ea excitavit, *vir*, magni *Erasmi* iudicio (o), *complurium linguarum egregie peritus, variis expolitus disciplinis, Cæsari Maximiliano cumprimis gratus, grauis & honoratus apud Sueuos, non apud Germanos solum, verum & apud Anglos & Gallos ex doctrina sua nobilis & clarus.* Quot & quantis litibus, quibus nihil odiosius; molestius nihil fingi potest, a proiectissima ad calumnias *Monachorum* gente per bene multos annos diuexatus sit tam eximius vir, nihil attinet referre. relatum est, vt *Melch. Adamum*, & *Phil. Melanchthonis*, ex qua pleraque sua hic hauserat, *Declamationem* silentio prætermittam, a plurimum reuerendo *Io. Henr. Maio*, qui *tot pulcherrimis ornamentis cumulati viri*, vt ab eodem Erasmo audit, *vitam* lucu-

(o) in ep. CLXVIII ad *Raphael. Cardin. S. Georgii*, p. m. 146.

luculenter conſcripſit(p). breuiter at perſpicue, enarrata etiam eſt *Reuchliniani Certaminis hiſtoria* a celeberrimo *Struuio* (q). neque vero tanti viri, de cuius egregiis in rem litterariam meritis nemo hodie exploratius liquidiuſque iudicare videtur, quam ingenioſus ac ſollertisſimus *Hermannus von der Hardt* (r), laudes ego alibi proſecutus non ſum (s). Satis in præſenti habebo incredibile Hutteni noſtri, quo Reuchlinum complexus eſt, ſtudium prædicare. Quum in Italia etiamnum commoraretur Huttenus, & Reuchlinus amoris eius conſtantiæ diffidere quodammodo videretur, epiſtolam animi fideique plenisſimam ad hunc miſit,

 qua

(p) *Durlaci* exc. an. 1687. 8.

(q) Actor. Litterar. ex Manuſcr. erut. Faſc. II, p. 97 ſummatim eandem hiſtoriam narrauit *Abr. Bucholzerus* in Ind. Chronol. ad an. 1510, p. m. 470, ſeq.

(r) qui præter *Iubilæum Reuchlini Symbolicum* in memoriam anni MDXII, & *Feſtum ſæculare Reuchlini* in Acad. Iulia an. 1713, 14, 15, menſe Octobri celebratum, ſuperiori anno *Moguntinam Reuchlini Hiſtoriam*, an. MDXIII menſ. Sept. in *Germania, Gallia* & *Italia* celebrem, illuſtratam emiſit.

(s) in Commentariis de *Lingua Latina in Germania Fatis*, p. 136, ſeqq.

qua omnem metum abstergere ei studebat (t). Postquam libere satis timiditatis eum insimulauerat, ostendendo, eum ipsum sibi deesse, qui ardentibus pro ipso amicis muliebre hoc obstreperet; *sin brevi moriar:* qui tamen illa de se testimonia viuus senserit, quæ paucis prius mortuis contigerint, ita, vt ipse posteritati interfuerit suæ; pergit: *Quod ad me attinet, satisfactum meo in te studio arbitror, vel hoc solo, quod inter Reuchlinistas numeratum haud obscure me viderim. Proinde confirmo te, fortissime Capnion. multum oneris tui in nostros humeros translatum est. Iampridem incendium conflo, quod tempestiue spero efflagrabit. ipsum te quiescere iubeo. eos mihi adiungo militiæ socios, quorum & ætas & conditio pugnæ generi par est. breui videbis lugubrem aduersariorum tragœdiam e ridentium theatro exsibilari. Hæc diuersa opinante te molior. neque enim de me si recte suspicareris, ista scriberes:* Noli deserere caussam veritatis. *Egone deseram aut hanc aut te huius ducem. modicæ fidei Capnion! quam non nosti Huttenum? immo si tu hodie deseras, ego istud (quantum per me fieri poterit) resti-*

(t) Epistolar. ad *Reuchlinum* a clariss. viris script. lib. II, ep. 52.

restituam bellum: nec mihi ignauos cœptorum comites arbitrare. His stipatus consortibus ingredior, quorum vnumquemque huic colluuioni satis futurum putes. Capnionis præconium per ora virum volabit. feres ipse & hinc & aliunde ingentem laudem extra periculum securus. Hæc volui ne ignorares. Vale ac integrum te nobis serua. Tantum quod ex Italia *Moguntiam* venerat, eadem *Hermanno Nuenario* stomachi ac querelarum de *effrenata Theologistarum audacia* plena epistola confirmavit (u): Miserat nimirum illustris hic Comes, Reuchlini & omnium, qui a partibus huius stabant, longe cupidissimus, Hutteno illiterati *Hogostrati*, infestissimi optimi Reuchlini hostis, *libellum*; in quo præter alios huius amicos Nuenarius quoque impuritatis sordibus adspersus erat. Eo enim defensorum ignorantiæ processerat audacia! nec poterat Huttenus, quin exclamaret: *Ferre has indignitates Germanorum natio diutius non potest:*

(u) quæ separatim in 4. prodiit, inscripta: *Epistola ad illustrem Virum Hermannum de Neuuenar Comitem Hutteniana, qua contra Capnionis æmulos confirmatur.* data est *Mogunt.* III Nonas April. (an. 1518.)

est: nec, qui adhuc lippiunt, aliquando non aperient oculos. Quod cogitanti mihi subit admiratio, quo malo nostro fato in hos dominos inciderimus. In Italia certe nostri me puduit, quoties de Capnionis adflictione orto cum Italis sermone, illi percontarentur, tantum licet in Germania fratribus? *Adeo obliti omnium esse possumus, vt, quos ad diuinum obsequium patrimoniis nostris alimus, eos ad publicam vsque maledicentiam nobis esse molestos patiamur. Quid superbius enim, quid indomitum magis hoc hominum genere? aut cui parcunt, si quando conscenderint illum petulantiæ suæ arcem publicum suggestum? quo naso, quibus superciliis, qua fronte, quibus lateribus in vniuscuiusque existimationem debacchantur?* Quum vna aut altera pagina in *peruersos* ætatis illius *Euangelii præcones*, qui omnia licere sibi putabant, ex libidine, cuicui volebant, maledicentes, sigillatim in *Petrum Meyer*; hominem omnium, qui Reuchlino inuidebant, indoctissimum, audacem tamen & insigniter petulantem, acerbe satis inuectus esset, in hunc modum illustris Nuenarii animum confirmauit: *Tu tibi consiste, Comes nobilissime, teque confirma. me quidem in omnes euentus* ha-

habebis & periculorum & laboris socium. Traducam interim ad partes, quosquos in Principum aulis aptos esse videro (x). *sed & iam nunc multi clari viri nobiscum faciunt. Quippe Capnionis caussam potens in sua ciuitate tuetur apud Norimbergam* Bilibaldus Pirckheimer. *Augustæ* Peutingerus: *in Pannoniis & Viennæ* Cuspianus, *vterque opibus pollens, ac eruditione splendidus. Faciunt idem, qui Maximiliano Cæsari a consiliis sunt, magnus vir* Iacobus de Bannisiis, Iacobus Spiegel, & Io. Stabius. *in Gallis vero hoc in Capniomastigas odium strenue alit, vir nobilis ac egregie eruditus*

(x) fideliter id præstitisse Huttenum, *epistola*, paullo post, quinque circiter mensibus interiectis, *Augusta Vindel.* ad *Iulium Pflugk* in Italiam missa, dubitare nos vetat; in qua scribit: *Ipse mihi negotium his diebus feci, discurrendo, ambiendo, apprehendendo, dum optimum quemque ex aulis Principum in partes Capnionis traham. quamquam huc vltro illi concedant, nec iam opus sit parare nobis amicos. ipsa caussa emortuæ similis est. nihil enim auditur, nisi quod Comes* Herm. de Nenuenar *Hogastratum fertur Colonia expulisse, propter impurum nebulonis figmentum, in quo hominem proscideret. Ex Gallia scribunt* Faber, Budæus, Ruellius & Copus, *nihil istic esse* Capnionis nomine *celebrius, & Theologistis ademptam omnem penitus spem. Vos in Italia quid agitis? aut quod ipsi quoque incendium conflatis?*

ditus Guilielmus Budæus. *& ibidem constanter nos tuetur* Copus Basiliensis, *Regi a medicinis.* *Ac* Stapulensis Faber, *qui Philosophiæ nostro æuo studiosis maximum adiumentum attulit.* *apud nostrum autem Albertum quid aliquando omittit, quo quidem Capnionis exaltationi, illorum vero detrimento prospectum esse possit,* Henricus Stromer, *physicus, candidissimus litterarum, ac litteratorum amator, ac mihi ob id summe carus?* Lipsiæ, *quamquam pertinaciter adhuc reluctentur sophistæ, erigunt se tamen litteræ, & augentur recta studia.* *Et* Wittebergam *a* Friedericho *Principe arcessuntur, qui Græce & Hebraice doceant* (y). *Iam vt ad illud redeam Episcoporum columen,* Albertum *nostrum, dici non potest, quam is consultum velit studiis, in admirationem te perducat, si quando videbis. huius ad Erasmum epistola sic benigne salutat, sic cupide ad se vocat. Domi vero Bibliothecam illius semper in manibus habet: neque Erasmicum quicquam exit,*

(y) quorum numero fuit *Phil. Melanchthon:* de quo eadem hac ad *Iul. Pflugk* epistola scripsit: *Ph. Melanchthon præter ætatem eruditus iuuenis VVittenbergam arcessitus est, non illiberali salario, Græcas litteras vt doceat. Quo etiam qui Hebraica prælegat, quaeritur.*

it, quod non ſtudioſe legat. Cuius vt aliquid penes te memorabile ſit, accipe rem factam, ſed quæ documento erit, quid de hoc Principe ſperandum ſit. Quum illi obtuliſſet Stromer omni conuiciorum genere refertum libellum Pepericorni *aduerſum Capnionis amicos, legit quidem, ſed lectum, vt ad ignem forte conſederat, impuriſſima Iudæi nebulonis maledicta deteſtatus, & hoc omnium ſæculorum memoria dignum apophthegma præfatus:* Sic pereant, qui ſic loquuntur, *flammæ iniecit. Quæ omnia ſpem faciunt nobis, eo quo tendimus euadendi. - - - Valde probo, quod incendiarium cucullionem vlciſceris; & cupide exſpecto ea, quæ promittis. Perge, vt cœpiſti: oderint, dum metuant. quamquam illud tibi cum multis commune erit odium. Porro certum eſt, bonos omnes, quicquid iſti oderint, valde probaturos. Epiſtolam tuam quam ad meam defenſionem reſcripſiſti, non accepi. ſcribe cui dederis perferendam. Intra quatriduum in Saxones redeo. Tu rectiſſime vale, ac valetudinem tuere.*

pag. 7. *qua de in litteris tuis mentionem facis)* Quod ſi ipſas illas *Pirckheimeri* litteras intellexerit Huttenus, ad quas verboſa hac epiſtola reſpondendum decreuit, integræ eæ cum poſteritate communi-

municatæ non ſunt. nulla certe in iis *Reuchlinianæ cauſſæ* fit mentio. Equidem cauſſam hanc fortiter a *Pirckheimero* defenſam eſſe, ſatis aliunde conſtat. Bene de iſta alter alterum dudum ſperare iuſſerat. Quum enim Huttenus *Bononiæ* adhuc verſaretur, in litteris, ad ipſum Pirckheimerum datis, ſic eum compellauit (z): *Fortiſſime Bilibalde, quid ſic metuis noſtri Capnionis cauſſæ? quem ſua innocentia aduerſus omnium inſultus tutum reddit. tot millia peſſimorum perſequuntur: quidam boni (dico enim bonos, qui hoc faciunt) quidam, inquam, boni tuentur. Vtrum maioris apud poſteritatem, quod multi perſecuti ſint mali, an quod quidam defenderint boni? At damnabit N. N. Phratorum auro inuerſus. Damnet. Contra* Eraſmus, Faber, Bilibaldus, Mutianus, *& optimus quisque innocentiam tueri, veritatem amplecti dignum duxit. Et ſi me torques, verum dicam, abs te malle probari me, docto & bono, quam ab ipſo omni palea leuiore, omni pluma mobiliore. Neque perſuadebis mihi, vt minoris faciam aliquod* Eraſmi ſpiculum, *quod in malum quempiam detorſerit ille, quam ſex-*

(z) integræ iſtæ litteræ inſertæ ſunt Operib. *Pirckheim.* p. 264.

sexcentas illius Florentini Excommunicationes; *quae iam multis & magnis de caussis vilescunt: apud eos quis est testiculi vena vlla paterni? Proinde impetrent illi omnia: nos innocentiam tuemur partis, quae non minus nota est omnibus, quam persuasa est sensato cuique sanctissimi* Leonis *improbitas: nam si quis nondum intelligit, dices illi cum Chrysippo:* οὐ γὰρ καταληπτικὴν φαντασίαν ἔχεις. ------ *Capnionem saluta, cui quod non possum sine sui periculo scribere, paene dirumpor. Iube esse bono animo. numquam deero, vt communi periculo. Neque, vt tuear patriam, id est litteras, dubitavero cum bono viro vel in* Κ α μ π *impingere; quamquam tu hoc tanti facias, vt in extremis ducere videaris.* Quum ita scripsisset Huttenus ex Italia Pirckheimero, litteras hic paullo post remisit; quarum hoc fecit initium (a): *Salue* Reuchlinista *optime. Cur enim non optimus, quum* Reuchlinista? *arguis me timiditatis, & recte quidem. Timeo siquidem optimo illi viro, non, quod iam sim tam timidus, qui Martis fuerim satelles, sed quia longa experientia didicerim,* auro loquente cun-

(a) debentur ex *Conr. Rittershusio*, qui ex autographo descriptas suo de Vita *Pirckheimeri* Commentario subiecit, p. 24 seq. Op. *Pirckh.*

cuncta silere. *Atqui & te quoque nonnihil timere intelligo, quamuis sis fortissimus. Sic enim de* venali *illo scribis* Decimo, *vt maxime dubitare videaris, quamuis antea bene sperare iusseris. Numquam enim ad innocentiam confugisses, nisi illam minus tutam fore subdubitasses. Verum non ideo virum optimum derelinquemus, sed cunctis viribus illi opem feremus, etsi non ignoramus, multos sub* innocentiae scuto *periisse.* Nec vero dereliquisse deinceps Pirckheimerum Reuchlini caussam, verum praesto semper consilio & re sua huic fuisse, facile, si ad institutum meum pertinere arbitrarer, possem declarare. Satis id in primis complures mutui, eiusque summi, amoris notis insignes maxime epistolae testantur (b). Tantum enim aberat, vt aegre ferret Pirckheimerus, si *Reuchlinista* appellabatur, vt propter viri amicitiam magnopere gloriaretur: qui, quemadmodum *in bello copiarum dux* antea

(b) complures epistolae, quas *Reuchlinus* ad *Pirckheimerum* dedit, inueniuntur inter huius *Epistolica* p. 259, seqq. tales vero, quas hic ad *Reuchlinum* scripsit, continentur lib. I *Reuchlin.* Ep. n. 81, 82, & Scriptor. *Pirckheim.* Append. p. 399. p. 401 eiusd. Append. verbosa satis epistola ad amicum de *Io. Reuchlini aduersariis iniquissimis* occurrit.

antea fuerat, ita tunc *in Reuchlinianis castris ordines gerens, non ignauum ἀλεξίκακον* præstare se constituerat (c). In quibus castris Huttenus non *classicum* modo cecinit, sed tam acriter etiam pugnare perseverauit, vt in toto *Reuchlinistarum agmine*, id est, inter complures politioris doctrinæ studiosos, qui Capnionis caussam suam duxerant, & aduersariorum huius futilitatem leuitatemque omni genere scriptorum proscindere constituerant, *princeps* existimaretur. siquidem litigantes cum Capnione monachos varie ipse exagitauit, factionem horum simul scriptis vehementissimis, simul expeditis armis adortus: *triumphali Reuchlini victoriæ Carmine* diuulgato, cum *contumeliosa* in conspirationis istius globum *pictura*; qua *Pepericornus* vnco trahebatur: vtpote qui, quum Iudæus antea exstitisset, operam deinceps suam ad Capnionem lædendum atque euertendum, magna, vt credebatur, pecunia condu-

(c) id confirmarat *Hieron. Emsero* in præfat. in *Luciani Rhetorem*, ex Græco Latine ab ipso transl. Op. p. 246.

ctam, commodauerat (*). Auctor praeterea Huttenus noster habetur *Capnionis Triumphi, siue in Triumphum Reuchlini, alias Capnionis, ex deuictis Theologistis Coloniensibus & Praedicatorum ordinis fratribus Encomii.* nec iniuria. Nam quamuis Huttenus in litteris, quas anno CIↃIↃ XVII *Bononia* ad *Pirckheimerum* misit, *Capnionis Triumphum* vidisse se, nominatim negauerit, & postularit, vt is sibi mitteretur; & quamuis *Erasmus*, vt statim ostendam, plures huius auctores esse, credidisse, videatur: tamen *Eobani Hessi* testimonium neminem plane de rei veritate dubitare finit: hic enim ad *Io. Langum* scripsit (**): *Iam non dubitabis amplius, Huttenum*

(*) contumeliosam huiusmodi picturam editam esse ab Hutteno, *Ioach. Camerarius* confirmat in Vita *Ph. Melanchthon.* p. 18. vtrum vero *triumphale istud Reuchlini victoriae Carmen* diuersum sit ab *Capnionis Triumpho* liquido adfirmare non possum.

(**) lib. I famil. ep. p. 19, seq. Plura argumenta, quae Huttenum Carminis auctorem esse, comprobant, inueniet Lector in *Vincent. Placcii Theatro Anonymorum & Pseudonymorum* P. II. p. 248, n. 905, & in clariss *Heumanni de Libris anonymis & Pseudonymis Schediasmate* p. 97, seq. Huttenum auctorem esse, vel ex eo coniicere licet, quod integer *Triumphus*

num triumphare pro Capnione. a fronte istam phrasin non ita agnoui, statim ac intregressus penitus, Huttenus noster factus est Eleutherius; quia vere liber, puto multas illi, quas facile possumus suspicari, fuisse caussas, propter quas personam sumpserit, ac luce palam nolit conspici. Ne dubita, vere Huttenus est. iuro tibi per omnia maxima, Hutteni est hoc. Sed male pereant mali typographi, qui multa in praeclaro libello praue scripserunt. ego duas tantum syllabas ab auctore neglectas, obeliscis signaui: reliqua librariorum sunt peccata. Quo quidem anno primum prodierit Triumphus hic, explorate statuere non queo; quum anno demum CIↃ IↃ XIX d. VI Mart. Moguntia Huttenus ad *Erasmum* scripserit: *Triumphus Capnionis in lucem prodiit magno Theologistarum*

 fre-

phus vna cum praefatione & alloquio, quo in calce libelli *Theologistas* prosecutum esse auctorem, memoraui, Hutteni *Operibus Poeticis* est insertus K. 4, b. cui huius *ad Cardinalem Hadrianum, virum doctissimum, & Germanorum in vrbe Patronum, pro Capnione Intercessio* ibi praemissa legitur, elegiaco carmine confecta. Integrum etiam *Capnionis Triumphum* reuerend. *Maius* Adnotationibus suis in *Vitam Reuchlini*, p. 480, adiecit. quem quidem, ab Hutteni ingenio profectum esse Triumphum, tum fugiebat.

fremitu: poſtquam *Eraſmus* anno iam CIↃ IↃ XVII *Herm. Nuenario* confirmauerat, *ſe ante biennium Triumphum Reuchlinicum, iam tum paratum editioni, in Germania premendum curaſſe.* qui idem *Eraſmus* Hutteno, indicato XIX anno, quum hic Triumphum prodiiſſe, ſignificaſſet, reſcripſit: *Triumphum nondum vidimus. gratum erat, quod noſtro conſilio tamdiu preſſerint, nec dubito, quin totum argumentum ſint moderati.* Ipſe omnium primam, niſi me forte fallit opinio, habeo editionem, ita inſcriptam: *Ioannis Reuchlin, viri clariſſimi, Encomion: triumphanti illi ex deuictis obſcuris viris, id eſt Theologiſtis Colonienſ. & Fratribus de ordine Prædicatorum, ab Eleutherio Byzeno decantatum.* in calce libri legitur: *Maximiliano Romanorum ac Germanorum Imperatore Inuictiſſ. rerum habenas moderante.* Carmine heroico libellus conſcriptus eſt: cui ad *Principem ac populum Germanorum* præfatio eſt præmiſſa. *Ecce*, infit hac, *vobis Triumphum Capnionis, o Germani, eius Capnionis, quem vos e faucibus perditiſſimorum hominum Theologiſtarum, vt vobis ſupereſſet hæc gloria, ſumma contentione eripuiſtis. Proinde exſultate ac plaudite. Non parua enim res effecta eſt, datumque veſtri erga ſummos viros*

ros ſtudii documentum ingens. Perculſa infimorum hominum inuidia. effrenatæ profligatorum nebulonum libidini frenum inditum. habitus honor ſtudiis. propoſita virtutibus præmia. reuocatæ ab interitu litteræ. Diis gratia. Ex longo ac pudendo errore oculos recepit Germania. Alloquium, quo in fine *Theologiſtas* proſecutus eſt auctor, infra adducam: ex quo haud obſcure cognoſci poterit, Huttenum eſſe auctorem, nullum alium.

pag. 7. *Theologiſtas auxiſſe, neſcio quas, ſuas aduerſum nos Lamentationes).* Ex his ipſis verbis non difficulter colligi poſſe, opinor, quis celebratisſimarum *obſcurorum virorum Epiſtolarum* auctor ſit; de quo varie inter eruditos adhuc eſt diſceptatum. fuerunt enim, qui ſoli *Hutteno* noſtro deberi iſtas, adfirmarunt (d): alii *Io. Reuchlinum*, alii *Eob. Heſſum*, alii alios, illarum auctores habuerunt (e). quidam principes

(d) inter hos eſt *Iac. Thomaſius*, qui in præfat. *P. Manutii Epiſtolis* præm. adfirmauit, *ſe certa fide exploratum habere, Huttenum ridiculi operis auctorem eſſe:* clarisſimi huius viri ſententiam ſecutus eſt *Morhoſius* Polyh. litterar. I, Cap. 23. §. 43.

(e) *Reuchlinum* auctorem eſſe, *P. Iouius* ſibi perſuaſerat: cui fidem habuit *Io. Conr. Dietericus* in Progr. *de*

pes *bonarum litterarum vindices*, laborem inter ſe partitos, *ridiculum opus* confeciſſe, ſtatuerunt (f); quo *Ortwinum Gratium*, qui multis ſcriptis *Hochſtratum*, acerrimum iſtum Reuchlini hoſtem, defenſum iuerat, in inuidiam adducerent, & *inficeti ſaeculi barbariem* ac *ſtribliginem* facete ſimul exprimerent. id quod feciſſe, nominatim ab iis perhibentur, *Comes Herm. Nuenarius*, *Vlr. Huttenus*, *Io. Reuchlinus*, *Herm. Buſchius*, *Io. Caeſarius*, alii. Quin in horum numero *Bilib. Pirckheimerus* & *Henr. Stromerus* referendi ſint, ego non dubito. *Plures* ſaltem feſtiui operis *auctores* fuiſſe, ex allatis Hutteni verbis colligi omnino poſſe, cenſeo. praeterquam quod multa alia rei ſuperſunt indicia atque veſtigia; quae *Iac. Thomaſius*, vir clariſſimus, inter ſchedas ſuas diligenter collecta nobis reliquit (g). qui tamen *Hut-*

de Reſtauratione Graecar. litterar. per Germaniam auſpiciis Io. Reuchlini, *Gieſſae* prop. an. 1661. *Eob. Heſſum* auctorem eſſe, *Mich. Sonleutnerus* credidit in Orat. *de Succeſſ. ſtud. per Germ.*

(f) ſtatuit ita *Herm. Hamelmannus* Op. Hiſtor. p. 198, & 298.

(g) edita Tom. IV *Obſeruation, Halenſ.* p. 153. ſeqq.

Huttenum coryphæum habet, atque *ludi* huius *choragum:* nec ſane iniuria. Quo anno *vterque lepidiſſimarum Epiſtolarum liber* prodierit, accurate indicare non poſſum (h). *primum* paullo *ante* ſæculi *annum XVII* diuulgatum eſſe, ex iſto *Apoſtolico Breui*, quod magno auri pondere *Colonienſes Theologiſtæ a Leone X. P.* contra ipſum hunc librum eiusque auctores impetrarunt (i), cognoſci poteſt: vtpote

(h) vidi quidem omnium *primam*, niſi omnia me fallunt, *Prioris libri editionem*; quo extremo ſequentia verba leguntur: *Et ſic finis Epiſtolarum obſcurorum virorum. Deo gratia eiusque ſancta Matri. In Venetia impreſſum in impreſſoria Aldi Minutii, anno quo ſupra, etiam cauiſatum eſt, et in aliis, ne quis audeat poſt nos impreſſare per decennium per illuſtriſſimum Principem Venetianorum.* verum annus non eſt indicatus; nec dubito, quin locus, quo typis exſcriptæ dicuntur, fictus ſit. Fuſius hac de editione egi de *Latinæ Linguæ in Germ. Fatis* Comment. p. 322, in notis.

(i) ipſi confeſſi erant, *ſe ob Breue illud belle auro eſſe emunctos.* vid. ſupra citata *Pirckheimeri* epiſtola, an. 1517 d. 26 Iunii ſcripta & in Italiam ad Huttenum miſſa: quam *Rittershuſium* ſuo de *Vita Pirckheimeri* Commentario p. 24 inſeruiſſe, commemoraui: ſignificauerat iſta quoque Pirckheimerus Hutteno *fratres,*

quod datum est *Romae d. XV Martii CIϽ IϽ XVII*(k). *Alterum* quoque *librum* eodem *XVII anno* lucem iam adſpexiſſe, ex quadam Eraſmi epiſtola patet (l). Sententiam iſtam de Leonis manu extorſiſſe, non ſatis habentes Theologiſtae, *Capnionis* iſti *pediculi*, vt Eitelw. de Lapide appellare eos conſueuerat, inſequenti anno

tres, ſiue Theologiſtas, qui ipſum auctorem obſcurorum eſſe clamitarent, Vlricum VVirtemberg. Ducem contra eum inſtigaſſe. Vt nebulones pecunias dilapidare rurſus cogerentur, titulum mutandum cenſebat tum Pirckheimerus, ſic, vt pro *Obſcuris Clari Viri* inſcriberentur.

(k) cuius vehemens ſatis eſt exorſus: *Intelleximus non ſine graui animi moleſtia, nonnullos iniquitatis filios, a quorum oculis Dei atque hominum timor abceſſit, improba ac damnabili & temeraria loquacitate ductos, quemdam libellum famoſum, cuius titulus eſt: Epiſtolae obſcurorum Virorum ad Venerabilem Virum magiſtrum Ortwinum Gratium Dauentrienſem, Coloniae Agrippinae bonas litteras docentem, & reliqua, edere.* Omnes ac ſinguli vtriusque ſexus Chriſtiani eo ab libelli lectione abſtinere, & omnia huius exempla continuo comburere iubebantur: illis vero, qui non paruerint, illa *excommunicationis* irrogabatur *poena, a qua nemo niſi Pontifex ipſe, praeterquam in mortis articulo, immorigeros abſoluere valeret.*

(l) ad *Io. Caeſarium*, an. 1517, d. 16 Aug. ſcripta, mox citanda.

no *Lamentationes obscurorum virorum* ediderunt (m), quibus præter Apostolicum Breue, *Erasmi Epistolam*, qua ad *Io. Cæsarium*, quid de *Obscuris* senserit, perscripsit (n), inseruerunt; adiecta præterea

(m) *Coloniæ ex ædibus Quentelianis an. 1518, quinto Idus Martias.* Ne quis *Lamentationes* has cum *obscurorum virorum Epistolis* confunderet, & vt ipsa statim inscriptione Reuchlinistæ pungerentur, ita ab *Ortw. Gratio* sunt insignitæ: *Lamentationes obscurorum virorum, non prohibitæ per sedem Apostolicam: effigie* adiecta, quæ Reuchlinistarum cohortem mœrentem lamentantemque repræsentat: cui diaboli in vespertilionum figuras formati candelam & conspicillum administrant, & nescio quid follis ope inspirant. Sed tamen & nostra & priore ætate fuisse doctissimos viros, qui *Lamentationes* a Reuchlini fautoribus profectas arbitrati, has cum *altero obscurorum virorum Epistolarum volumine* confuderint, probe notauit is, qui cl. *Iac. Thomasii* de Epistolis his schedas, quibus & suas obseruationes adiecit, edidit; cit. Tom. IV *Obseruat. Hal.* p. 164, seqq.

(n) Maxime omnium laudauerat initio *Erasmus obsc. viror. Epistolas*, negans, vmquam excogitatam compendiosiorem *Theologistas insectandi viam*, & istam denique optime initam fuisse *rationem barbare ridendi barbaros*; gratulabatur igitur auctoribus hanc felicitatem. quid? quod ipse, quum nondum excusæ essent Epistolæ, sua manu quasdam descripserat, in *Angliam* & *Galliam* amicis eas missurus.

Epistola apologetica Ortwini Gratii, *ob primam a paruulo educationem* Dauentriensis *cognominati, Aggrippensis quoque academiæ philosophi Christique Sacerdotis ad obscuram Reuchlinistarum,*

surus. ex quibus *Thomas Morus* ad *Erasmum* scribens, sic de editis iis iudicauit: *Epistolæ obscurorum virorum, operæ pretium est videre, quantopere placent omnibus, & doctis ioco & indoctis serio, qui, dum ridemus, putant, rideri stilum tantum, quem illi non defendunt, sed grauitate sententiarum dicunt compensatum, & latere sub rudi vagina pulcherrimum gladium. Vtinam fuisset inditus libello alius titulus! profecto intra centum annos homines studio stupidi non sensissent nasum, quamquam rinocerotico longiorem.* Ep. *Erasm.* Append. p. 1575. Quum vero *alter* quoque *Epistolarum libellus* editus esset, ac irritatos cerneret *Erasmus* crabrones, ne suspicionem incideret, se, vel ipsum earum auctorem esse, vel institutum saltem approbare, istam ad *Io. Cæsarium* misit *epistolam:* qua quum *obsc. vir. Epistolas magnopere displicere* sibi adfirmaret, ac *ipsum opus auctoresque increparet*, famæ anteuertere cupiebat. qua de re Huttenus tum, quum, vt alibi a me ostendetur, amicitia inter ipsum & Erasmum est discissa, grauiter conquestus est, scribens inter alia in sua *cum Erasmo Expostulatione:* hoc *tum inimicis nostrum telum dabas contra nos acerrimum.* Ad illustrissimum *Nuenarium* quoque eodem fere tempore, quo ad Cæsarium epistolam istam misit, litteras dedit

rum cohortem, citra bonorum indignationem missa. Ex qua inscriptione iterum palam fit, non ab vno profectas esse obscurorum virorum Epistolas. Satis insuper ex

dit Erasmus; quibus non minus aperte *obsc. vir. Epistolas edendi consilium improbauit*, aegre ferens, quod *isti, quicunque* (quasi auctores ignorarit), *fuerint*, non contenti, sic ineptisse, *alterum priori similem libellum* ediderint, in quo ipsum toties nominandum putarint. Ep. *Erasm.* Append. ep. CLXVIII. Ea re *Catalogus Reuchlino fauentium*, quem *Pirckheimerus Reuchlini Apologiae*, siue praefationi in *Luciani* dialogum *Piscator* inscriptum, adiecit, Erasmo non admodum probabatur. Verum, prout hominis animus mobilis maxime est, idem *Erasmus* ad eumdem istum *Caesarium* an. 1518, d. 5 April. ep. CCLXXVII Append. scripsit: *Pessime consuluit rebus humanis, qui titulum indidit* Obscurorum Virorum: *quod ni titulus prodidisset lusum, & hodie passim legerentur illae Epistolae, tamquam in gratiam Praedicatorum scriptae. Adest heic Louanii Magister noster, pridem prior apud Bruxellas, qui viginti libellos coemerat, gratificaturus amicis, paullo antequam* Bulla *illa prodiret, quae* effulminat *eum* libellum. *Primum optabam non editum eum libellum, verum vbi fuerat editus, optabam alium titulum. Sunt illi quidem digni maioribus conuiciis, sed exemplum est odiosius, & quod in furto molestissimum esse consueuit, suspicio incerto auctore per omnes vagatur, vt cuique sua comie-*

ex ipsa apologetica hac epistola apparet, *Ortwinum Gratium Lamentationum* esse *auctorem*. Quem suas litterulas turpiter seruire voluisse quorumdam stultitiæ, seu potius ambitioni, hoc magis miratus est Erasmus (o), quod eo ingenio præditus videbatur, vt, si vero iudicio iustam operam adiunctam voluisset, inter *eloquentes* ac *litteratos* haberi potuisset: qui vero tunc non alio facinore innotuerit, nisi q od calumniatus sit Reuchlinum & huius amicos; quodque quorumdam *infanti malitiæ mercenarium ciboque conductum rhetorculum* se præbuisse visus sit. Quando de reliquo Ortwinus nonnullas *Lamentationes Moguntiæ ex domo luctus & conuiuii, Moguntiæ ex publica corona Obscurorum portu*

coniectura, aut suus suggerit adfectus. neque enim deerant, qui me crederent earum Epistolarum auctorem quum mihi nec nomina forent nota, nec imitabilis phrasis. In obscuror. viror. Epistolarum *auctorem*, vel potius *auctores* inquirit *Vincent. Placcius* in *Theatri Anonymor. & Pseudonymor.* P. I, p. 378, n. 1540 a. & clariss. *Heumannus* de *Libris Anon. & Pseudon.* Schediasm. p. 120.

(o) ep. CCCLXXIV. Natione *VVestphalus* fuit, in *Monaster. regione* natus, vid. *Hamelmanni* Op. Hist. p. 189.

portu datas ſimulauit, *Huttenum* cumprimis atque *Stromerum* perſtringere mea ſententia voluit: vtpote qui in *Mogunt. Archiep. Aula* tum viuebant; Huttenum quoque *Reuchliniſtarum anteſignanum* tecte ſimul his verbis prodere voluiſſe mihi videtur. Has itaque *Lamentationes* intellexit Pirckheimerus, quas Theologiſtas *auxiſſe adverſum ipſos*, ad Huttenum ſcripſerat: quæ nempe eiusdem XVIII anni *Auguſto menſe* Coloniæ *auctiores* prodierant, quum *menſe Martio* Gratiani ingenii fœtus lucem *primum* adſpexiſſet.

pag. ead. *haud dum ſcio, ſecure magis contemnenda ſit, quam indignanter exagitanda.)* Subdubitaſſe ſe aliquamdiu, vtrum obſtinatisſime aduerſarios ab ſe ſociisque contemni, quam infenſisſime aliquando impugnari eos, præſtaret, *Hermanno Nuenario* paullo ante confeſſus quoque erat (p). Verum hoc *contemnere*, quod ceteroquin *omnibus Apologiis prætulerit*, non ſatis fore cenſuit denique, ad illud, quod ſuſceperint, negotium; *vt vigerent litteræ, barbaries exſularet, docti in veneratione, ſcioli paſſim*

(p) in verboſa illa & ſæpius citata ſupra epiſtola, quam ſeparatim prodiiſſe, oſtendi.

passim despectui essent. id quod Deo adiuvante ad aliquem iamtum progressum deductum senserat, sed non quo oporteret.

pag. ead. *qui se obsorienti iam bonae eruditionis soli intempestiuae nubes opponunt)* elegantem *pro bonis litteris renascentibus aduersus barbariem, eiusque satellites ac* πρεμάχες *Sophistas* epistolam *Pirckheimerus* ad *Vincentium Longinum* scripsit (q). *Spero,* ait, *breui fore, quum opera tua, tum reliquorum doctorum virorum, quorum magnus vndique emergit numerus, vt, explosa tandem omni barbaria, cultiores ad nos litterae reuertantur, quibus tamquam sagittis confodienda sunt inertia ista pecora* καὶ κάκιςα ζῶα, *quae nihil nisi foenum rodere didicere, ac omnem cibum lautiorem adspernantur, quia eo vesci iam pridem desperauerunt.* Quantae molis fuerit, bellum cum horrendis eiusmodi monstris non modo fortiter suscipere, verum acriter etiam gerere enixeque sustentare, pauci oppido hodie reputant. qua re fit, vt aetas nostra de *Hutteni, Pirckheimeri, Nuenarii, Buschii,* & reliquorum fortissimorum belli istius

(q) Op. *Pirckheimer.* Append. p. 400.

iſtius ducum laudibus penitus ferme conticeſcat.

pag. ead. *quantum referat)* tantum referebat, vt Germania reſipiſcere prius non potuerit, quam, opitulante Deo, *taurorum*, id eſt Sophiſtarum, *cornua* in Reuchlini, Hutteni, reliquorumque ſociorum firmitate ita *fracta ſint*, vt veris tandem theologiæ ſtudiis tam impudenter reſiſtere porro non valerent (r).

pag. 8. *Pepericorni Iudæi)* *Io. Pfefferkorn*, conuerſus *Iudæus*, intelligitur, qui, *Coloniæ* verſatus, maledicentisſimam ſuam linguam ac venalem calamum *Reuchlini aduerſariis*, vt paullo ante, vbi de *contumelioſa* iſta contra hos diuulgata *pictu-*

(r) tam cognitum id habuit *b. Lutherus*, quam qui maxime; vltro gloriam iſtam *Reuchlino* concedens, lib. II ep. ad Reuchlin. 72. qui eodem anno, quo Huttenus epiſtolam ad *Pirckheimerum* dedit, Tom. I, Epiſt. p. 60, b. ad *Iudocum Eiſenac. Theol.* ſcripſit: *Atque, vt me etiam reſoluam: ego ſimpliciter credo, quod impoſſibile ſit Eccleſiam reformari; niſi funditus Canones, Decretales, Scholaſtica Theologia, Philoſophia, Logica, vt nunc habentur, eradicentur, & alia ſtudia inſtituantur: atque in ea ſententia adeo procedo, vt quotidie Dominum rogem, quatenus id ſtatim fiat, vt rurſum Biblia & ſ. Patrum puriſſima ſtudia reuocentur.*

pictura, cuius inuentor Huttenus habebatur, a me actum est, cognouimus, commodauit. Vberrime de nugatoriis conuiciis, quibus optimi Reuchlini famam proscindere non dubitauit nequissimus Pepericornus, egit clarissimus *Maius* (s): vtpote cui quædam *Hutteni* nostri *Epistola* de *Pfefferkornio* ad *Adolphum Roboreum Coloniensem*, & *Eitelwolfum de Lapide*, vna cum *Capitibus criminum*, quorum conuictus fuit, & *Exclamatione* eiusdem Hutteni *in flagitiosissimam Iudæi vitam* (ſ) ex *Nicol. Gerbelii* bibliotheca obtigerunt. Ex istis Hutteni litteris didicisse se, adfirmat reuerendus Maius, non eumdem fuiſ-

(s) in Adnotat. ad *Vitam Reuchlini* p. 253. Add. cl. *Herm. von der Hardt Mogunt. Reuchlini Histor.* p. 14, seqq. Impius *Pepericorni* conatus pluribus etiam verbis persecutus est *Sleidanus*, ad an. 1520. p. m. 23, b. seqq.

(ſ) *in sceleratissimam Ioannis Pepericorni vitam* Hutteni *Exclamatio*, heroico carmine confecta, inserta legitur *Operibus* huius *Poet.* Q. 3, b. cui hi *ad Lectorem* versus præfationis loco sunt præmissi:

Hic diras scelerum formas, funestaque narrat
Crimina, subtili commoditate liber,
Qua Pepercornus, *recutitæ gentis alumnus,*
Sed baptizatus, fecit, & igne luit.

fuiſſe *Pepericornum*, qui *Halæ Saxonum*, propterea quod nefaria multa de Seruatore noſtro dixerat, ſupplicio eſt adfectus.

pag. 9. *decreui animoſo in frontem impetu obturbare)* obturbauit tum quoque, quum *Hochſtratus*, infenſiſſimus omnium *Reuchliniſtarum hoſtis*, & *Theologiſtarum Alpha*, cuius ſæpius iam mentio iniecta eſt, *Halæ Saxonum* obuiam ei factus eſſet. e quo enim deſiliens Huttenus, improbo homini gladium intentaſſe dicitur, vindictam ſcelerum ab eo petiturus; quo facto, Hochſtratum in genua proſtratum, rogauiſſe nobiliſſimum heroem, ferunt, *ſi quid interceſſerit inimicitiarum, id calamo potius, quam enſe proſequeretur, homini iam imbelli parceret.* ſic placatum Huttenum ac miſertum, non adflixiſſe quidem eum, ſed gladio tantum obliquo aliquoties verberaſſe (t). Erunt fortaſſe hodie, quibus Huttenus *immoderatam libertatem licentiamque inimicos oppugnandi* præ ſe tuliſſe videbitur. illi cogitent, quam atrocibus modis, tum publice, tum priua-

M tim

(t) ex *Caſp. Barthio* ſe audiuiſſe iſta, cl. *Iac. Thomaſius* c. l. confirmauit.

tim, irritauerint eum linguarum ac bonarum litterarum hostes: de quorum furente impetu maledicendique contentione in ipsa etiam ad *Pirckheimerum* Epistola grauiter conquerentem eum audimus. Enimuero ab iniuria non temperarunt isti, in sacris concionibus, in scholis, in conuiuiis odiosissime, immo seditiose quiduis apud imperitam multitudinem contra meliores litteras, harumque cultores vociferati, facinus non ferendum arbitrati, si quis horum ausus fuerat mutire (u): Huttenum non solum *pseudo-Christianum* appellare, sed etiam *palam minitari* ei sustinuerant; *omnem defensionem penitus adimendam ei*, criminati (v).

pag.

(u) eo nomine *libertas*, quam Huttenus præ se tulit, *Erasmo* intolerabilis visa non est. vid. Epist. eius CCCXVII. *Herm. Buschius Vallum humanitatis* conficere tum necesse habuit, eodem 1518 anno *Coloniæ* in 4 emissum. quandoquidem, vt ex præfatione cognoscere licet, *Theologistæ* aperte calumniabantur, *peruersitatis, vanitatisque, ac potius falsitatis, quam humanitatis, & turpium lenonum, quam proborum hominum esse ista studia, & nihil diuini continere, nihil honesti.*

(v) grauissimus testis est ipse *Pirckheimerus* in *Apologetica* sua *epistola* Luciani *Piscatori* præmissa.

pag. 11. *Cum ipsa Italia nullum valde certamen detrectet)* Tempus iam aderat, quod futurum diuinarat *Rudolph. Agricola.* summam certe hic vergente priori sæculo in spem venerat, fore aliquando, vt *priscam insolenti Italiæ & propemodum occupatam bene dicendi gloriam extorquerent Germani*; vindicarentque se, & ab *ignominia*, qua ipsos *barbaros*, *indoctos* & *elingues*, & si quid incultius his erat, esse iactitabant tum Itali, exsoluerent: futuramque tam doctam atque litteratam *Germaniam*, *vt non Latinius vel ipsum Latium videri posset* (x). Quamquam id laudis iam tum per summam ipsius *Agricolæ* eruditionem consecuta fuerat Germania: qui vt vates etiam cecinerat, adolescentem *Erasmum magnum* olim fore.

pag. ead. *Quos Geuderos primum domi tua erudiisti, nihil veritus homo Patricius)* effecerat etiam, vt *soror* ipsius *Charitas* non minus moribus & vitæ probitate, quam *eruditione* ac *bonis litteris clara* euaserit: quæ propterea illum non solum vt

 vni-

(x) felicitatem hanc *Germaniæ* prædixerat in epistola ad *Rudolph. Langium*, *Lucubrat.* coniunct. *Colon.* an. 1539, 4, edit. pag. 178.

vnicum *fratrem* amplectebatur, verum etiam fideliſſimum venerabatur *patrem*, *præceptorem*que diligenter colendum: petere ab ipſo non verita, vt in *Monialium cœtum*, cui ipſa præfecta erat, accedere ſubinde, & *Latinam linguam tradere* perſeveraret: in qua addiſcenda nullo, præter ipſum hunc fratrem ſuum, vſam ſe antea eſſe *præceptore*, faſſa eſt (y). qui curauerat etiam, vt *filia* ſua *Catharina Latinis litteris* inſtitueretur (z).

pag. ead. *quantum ſit recte inſtitui, recte diſcere)* Summa rei huius neceſsitate adductus *prudentiſſimus inclytæ Reipublicæ Senatus*, paucis annis interiectis, *nouam Scholam* in florentisſima vrbe ſua inſtituendam decreuit; poſtquam dudum auctore *Io. Pirckheimero, Bilibaldi* parente, *publicum profeſſorem* conſtituerat, qui *oratoria & poetica facultate pollens*, ſalario ex æ-

rario

(y) in epiſt. ad ipſum *fratrem* ſcripta, quæ VII eſt inter eius epiſtolas pag. 345, Op. *Pirckheim. Singularis* enim *Charitatis* huius *Pirckheimeræ, Abbatiſſæ Ordinis S. Claræ in cœnobio Norimberg. Epiſtolar. Liber* eiusd. *Bilib. Pirckheimeri* Operib. eſt inſertus.

(z) vid. *M. Cruſii Annal. Sueu.* P. III, lib. III, c. 4, p. 147.

rario publico ſoluto, vtramque artem ad *Italicarum vrbium* quarumdam *morem doceret* (a). Ad *nouam* iſtam *Scholam* inaugurandam Senatus *Phil. Melanchthonem* Witteberga inuitarat: qui elegantisſimam in ipſius *nouæ Scholæ Laudem, in doctiſſimorum virorum & totius ferme Senatus corona*, habuit *orationem* (b): qua Senatum his verbis compellauit: *Neceſſario tempore vobis in mentem venit, exulantes ſuis ſedibus litteras hoſpitio excipere, & tamquam domum deducere. Non pigeat adiecisſe hoc decus reliquis ornamentis vrbis veſtræ, quæ iam opibus, ædificiis, opificum ingeniis, ita floruit, vt conferri cum quauis laudatiſſimarum vrbium apud veteres recte poſſit. Neque alia vrbs in Germania doctiores hactenus ciues habuit: qui quia ad gubernandam Remp. ſcientiam optimarum artium adhibuerunt, effecerunt, vt reliquis Germaniæ vrbibus hæc longe præſtaret omnibus. Nunc autem, quum heic domicilium honeſtis diſciplinis conſtituitis, ad illum*

(a) oſtendit id *Conr. Celtes* cap. XII, de *Origine, Situ, Morib. & Inſtitutis Norimb.* lib. Op. *Pirckh.* p. 133. & *Conr. Rittershuſius* Commentar. de *Vita B. Pirckheimeri*, p. 23.

(b) quæ an. 1526 habita, continetur Tom. I Declamat. *Phil. Melanchthon.* p. 435.

lum cumulum laudum vestrarum, incredibile est, quanta fiat accessio. & quæ sequuntur luculentissima verba grauissimæque sententiæ aliæ. Docuit aliquamdiu in noua hac Schola vna cum *Eob. Hesso Ioach. Camerarius;* viri iam tum celeberrimi, Ph. Melanchthonis auctoritate eo arcessiti (c).

pag. 12. IOANNEM DE MONTE REGIO) Suum *ciuem* appellat hunc Huttenus, quia ex non ignobili *Franconiæ* vrbe, *Regis monte (Kœnigsberg)* erat oriundus: quæ sæculi istius more ipsi nomen dedit, quum *Mullero* ei antea fuerat nomen. Eximii huius *Mathematici*, qui cunctæ Germaniæ singulari ornamento exstitit, & quem Italia magnopere ei inuidit, vitam qui cognoscere volet, eam inter *Melch. Adami* vitas *Philosophorum* inueniet (d), *Phil. Melanchthonis* ductu antea summatim conscriptam (e). a *Petro Gassendo*

(c) vid. *Ioach. Camerarii* Narrat. de *Eob. Hesso*, C, 4, b. & huius epist. ad *Eur. Cordum*, *Libello Nouo* Epistolas & alia monimenta compl. a *Camerario* ed. *Lipsiæ*, an. 1568, C. 5, b.

(d) p. m. 5.

(e) Tom. III Declam. p. 252.

ſendo quoque *Regiomontani*, eius Præceptoris *Georg. Purbachii*, aliorumque celeberrimorum *Aſtronomorum* vitas coniunctim editas eſſe (f), conſtat.

pag. ead. CHVNR. CELTIM *Poetam*, *ignoto tunc in Germania poetæ vocabulo) Cæſaris*, puta, *manibus laurea ornati. Alex. Hegium* enim, *Rud. Agricolam*, *Rud. Langium*, qui ſinguli *Celti* ætate præſtiterunt, *Poetica arte* excelluiſſe, inficiari nemo ſuſtinuerit. quibus etiam laudem hanc vindicatum iuit *Herm. Hamelmannus* (ff): a *Io. Tritbemio* & compluribus aliis nominatim iis impertitam. Nec vero *Celtes* eruditisſimis & immortaliter de omni Germania promeritis litterarum inſtauratoribus iſtis debitam laudem intercipere voluiſſe videtur, quando de ſe ſcripſit:

Primus ego titulum geſſi nomenque Poetæ:
Cæſareis manibus laurea nexa mihi.

pag. 13. ALBERTVS DVRER) *Bononienſes pictores* publice *picturæ principatum in vni-*

 verſo

(f) *Pariſiis* an. 1654, 4. & *Hagæ Com.* an. 1655 ead. f.

(ff) in Orat. de *Doctis VVeſtphaliæ Viris* p. 109. ſeqq. *Op. Hiſtor.*

verso orbe Durero detulerunt, adfirmantes, *iucundius se morituros, viso tam diu desiderato Alberto.* id quod *Christoph. Scheurl* testatur, qui ipse talia coram audiuerat (g). *Bil. Pirckheimer*, prout pulcherrimam & liberalibus artibus proximam *pingendi artem*, magno in pretio habuerat, cum *Alberto* hoc intimam coluit amicitiam, & pæne quotidianam vitæ habuit consuetudinem; omnibus modis eum adiuuans ac promouens, quo melius atque commodius artem suam excolere, & ad tantum fastigium posset perducere, ita, vt mirum non sit, quod, mortuo *Durero*, dolenter admodum iste ad *Huttenum* in hunc modum scripserit (h): *Etsi iam sæpius*

(g) in vita *Antonii Kressii I. V. D. & Præpositi S. Laurentii* Oper. *Pirckheim.* p. 352, vbi *magistri* recensentur simul, sub quibus profecit tantus artifex. add. *Conr. Rittershusii* Comment. de *Vita Pirckheimeri*, p. 16.

(h) *Pirckheimerian.* Append. p. 399, ep. 10. inscripta certe ibi est epistola *Vdalrico Hutteno de morte Alberti Dureri*, *Appellis Germanici.* Verumenimuero ex *Epitaphio*: quod *Melch. Adamus Dureri Vitæ* pag. 70 *Philosoph. Vit.* adiecit, cognoscere est, hunc VIII Idus April. an. CIↃ IↃ XXVIII, ætatis suæ LVII, obiisse. quod si fuerit, *Pirckheimerus* profecto

ſæpius dolorem, qui ex morte neceſſariorum ſuboriri ſolet, expertus fuerim, neſcio tamen, an cuiusquam obitus talem mihi vmquam luctum attulerit, qualem nunc optimi ac amiciſſimi noſtri AlbertiDureri *abitus repentinus concitat. nec iniuria, quum neminem ex omni humano genere, qui mihi ſanguinis ſaltem vinculo iunctus non eſſet, magis dilexerim, ac pluris ob innumeras eius virtutes probitatemque ſingularem fecerim. Proinde, mi* Vdalrice, *quum ſciam, calamitatem hanc communem mihi tecum eſſe, potiſſimum apud te dolori meo habenas laxare auſus fui, quo pariter amico tanto iuſtas perſolueremus lacrimas. Obiit* Albertus *noſter,* Vdalrice *optime: proh fatorum ordo inexorabilis! proh miſera conditio humana! proh dura inclementia mortis! Vir talis tantusque nobis ereptus eſt, quum interim tot inutiles ac nullius frugis homines fortuna proſpera perpetua, vitaque fruantur plusquam diuturna.*

pag. ead. *ad omnia, quæ ingenio indigent, hebetes nos eſſe)* Germanos, *Itali* cenſebant, eſſe, gentem victu aſperam,

M 5 in-

fecto huius mortem *noſtro Hutteno*, qui anno iam CIↃ IↃ XXIII animam ſuam cælo reddidit, ſignificare non potuit.

incultam moribus, ſtudio venandi, & militiæ barbaricæ deditam; quæ ad rapinam, quam ad iuſtum congreſſum multo paratior eſſet, quæ *ſtudia humanitatis non tum attingeret, quam capere non poſſet* (i).

pag. 14. ALBERTVM) Orat. II in Wirtemberg. D. eum ita allocutus eſt: *Alberte, Epiſcoporum huius temporis decus, vnicum pietatis ornamentum, pacis præſidium, ac rectiſſimorum ſtudiorum adſertor.*

pag. ead. *iam quiddam parabat, vnde nobis magnifice conſultum fuiſſet) Moguntiæ*, vbi otii ſui ſedem delegerat, *ſtudium litterarum*, ſiue *Gymnaſium* vel *Academiam*, vti hodie loquimur, quale in tota Europa non eſſet, allecta ad hoc *Alberti* Principis liberalitate, parauerat inſtruere, partim etiam ſua pecunia, partim eiectis inutilibus profeſſorculis; & quibus illi alebantur ſtipendiis, ad meliorem vſum translatis (k). *Eitelw. de Lapide*, qui id parauerat, copioſe ſupra eſt laudatus.

pag. 15. *quod ſciret litteras)* ſiquidem perſuaſum habebant tum Germani, *litteris*

(i) *Io. Ant. Campanus* certe ſic cenſuit lib. IX ep. 45.

(k) paraſſe id *Eitelw. de Lapide* Huttenus litteris prodidit, in ep. ad *Iac. Fuchs*, ſupra cit.

teris animum effeminari virilem, nequaquam manu strenuum pariter & eruditione clarum esse posse. quali sententia in educando *Vlrico Wirtemberg. Principe* consiliatores ac rectores fuerant; qui litteras eam ob caussam indignas plane censuerant, quibus Princeps operam nauaret: quem palæstricis tantummodo artibus venationibusque vacare necesse habere, existimaverant; vt vires ad belli labores sustinendos augeret, corporisque tueretur colores (l). Ipse *Pirckheimerus*, quum parens ex *aula Eystadiensi* iuuenem eum abstractum in *Italiam* mitteret, vt cum studiis in gratiam ibi rediret, ægre initio ferre id videbatur: vtpote cuius animum praua itidem ac peruersa opinio inuaserat, *litteras hominibus militaribus & aulicis non solum non necessarias, verum dedecori etiam esse atque ignominiæ* (ll). In qua opinione, tantum abfuit, vt perseuerarit, vt, quamprimum doctrinarum studia

(l) *Pirckheimeri* dedicat. ep. VI, Op. pag. 236 & *P. Tebtinger* in Comment. de *rebus VVirtemberg.* in *Schardii* Coll. *Script. Germ*, T. II, pag. 57.

(ll) vid. *Rittershusii* Comment. de Vita *Pirckheimeri*, p. 4.

ſtudia attingens denuo, ſenſu ſuo guſtare ea recte cœperat, nemini in amore eorum conceſſerit deinceps.

pag. ead. *ab aure Cæſaris potentes)* de numero horum fuiſſe *Conr. Peutingerum, Iacobum Spiegel*, & *Io. Stabium*, ex ſuperioribus obſcurum non eſt. Gratia quoque apud Imp. Maximilianum multum potuit *Io. Cuſpinianus*, qui manſuetiores diſciplinas cum Medicinæ ſtudio feliciter copularat; & qui eiusdem Imperatoris iuſſu modo laudato Stabio lauream ſollemni ritu contulerat (m). Nec vero ipſe *Pirckheimerus* gratia apud Maximilianum non floruit. floruit hac etiam *Iacobus de Banniſiis*: vt paullo poſt oſtendetur.

pag. 16. *eos, qui leges profitentur)* quo numero hi tum fuerint, ex his *Hutteni* verbis, clare apparet (n): *Bartoliſtæ ſunt, qui nunc in auribus Principum quaſi ſpongiæ hærent. quibus conſultoribus reſpublicæ gubernantur. ad quorum præſcriptum omnia domi foriſque geruntur. qui ſoli docti ſunt, ſolique do-*

ctrinæ

(m) vt ex *Cuſpiniani* vita a *Nic. Gerbelio* conſcripta, & *Cæſaribus* eius præmiſſa, cognoſcimus.

(n) quæ leguntur in ep. ad *Crotum Rubianum Nemini* præf p. 11.

ctrinæ pretium inueniunt. quibuscum ſuum iſti diuites aurum commune habent. quos ſolos benignius ſalutant. Ac neſcio, an vſpiam manifeſtius ſtultitiæ ſuæ documentum, quam in demerendis rabulis, præbeant. quos quum reddunt purpuratos, ipſi aliquando egent inepti homines, quaſi non melior fuerit Germaniæ ſtatus, antequam iſti inuaderent tot voluminibus inſtructi, tum, quum plus valerent heic boni mores, *quam vſquam* ſcriptæ leges. *aut non adhuc tanto quælibet ciuitas prudentius gubernetur, quanto ab ea longius abſunt hi* gloſſatores. *Ac illos mihi intueatur aliquis* apud Balticum mare Saxones, *quam incunctanter, ac nulla iniuria ius dicant, non conſultis quidem illis, quos dixi, leguleis; verum ſuo illo ab antiquis more, quum nos heic viginti annos, inter triginta ſex doctores pendeamus. Qui quomodo perſuadebunt mihi doctrinæ opinionem, quum tot annos, tot perlectis voluminibus, inuenire,* quid iuris, *non poſſint? Obſcure igitur intelligimus, quis alat iſtas in Germania contentiones? iſtas diſcordias? quis inteſtinis bellis connectat Principes? rebuspubl. tumultus inuehat? omnia ſeditionibus impleat?*

pag. ead. *in aula omnium turbulentiſſima)* Quum adoleuiſſet *Bilibaldus*, a pa-
tre

tre *aulæ Eyſtadienſis Epiſcopi* mancipatus fuit, non ſolum vt *aulicorum* cognoſceret *mores*, ſed etiam in *militia* & *artibus bellicis* ſe exerceret; eo enim natura quodammodo ferebatur. Acciderat enim eo tempore, vt Epiſcopus ille a quam plurimis vrgeretur hoſtibus, qui latrocinando & prædas agendo improuiſas potius, quam iuſtum & indictum bellum inferendo prouinciam ipſius quotidianis incurſionibus infeſtarent & deuaſtarent (o). Aula iſta derelicta, anno ætatis viceſimo a patre in *Italiam*, vt intermiſſa quodammodo ſtudia recoleret, ablegatus eſt. Reuerſus hinc conſtituerat, *Doctoris gradum in vtroque Iure* ſuſcipere, *Cæſaris Maximiliani aulam* ſecuturus. a quo conſilio parentis auctoritas eum reuocauit: poſteaquam varia *aulæ incommoda, pericula, & immenſos labores* in memoriam eius reduxerat parens; qui ipſe talia aliquamdiu fuerat expertus.

pag. ead. *militares)* in *bello Heluetico*; ſuppetias, vna cum copiis a *Rep. Norimb.* ei

(o) quæ *Conr. Rittershuſius* memoriæ prodidit in Comment. de *Vita Pirckh.* p. 4.

ei commiſſis, *Maximiliano* Imperatori profectus. quod bellum ipſe *duobus Libris* memoriæ eleganter mandauit (p).

pag. ead. *te delinimentis his refouendum dederis)* Ipſe de ſe teſtatus eſt (q), *militum* ſuorum *petulantiam*, a *riſu* & *ſubſannatione* non abſtinuiſſe, quum ipſum *in caſtris* nonnumquam *libellos manibus tenere*, ac *inter bellicum furorem lectioni operam impendere*, vidiſſent.

pag. 17. *haud ignarus, quam multi, & qui feliciter hæc* (litteras & negotia) *coniunxerint)* Ipſum *Maximilianum* Imp. feliciter ea coniunxiſſe, præclare nouerat *Pirckheimerus*, qui eum ita in dedicatione quadam allocutus paullo ante fuerat, quam Huttenus hæc ſcripſit (r): *Siquidem veriſſime adfirmare auſim, non ſolum inter bellicoſos Imperatores te eſſe doctiſſimum, verum & inter doctos bellicoſiſſimum: nec aliquem æque poſt* Ma-

(p) ex ſchedis collectos & in ordinem redactos eos primus foras dedit *Conr. Rittershuſius* Operib. *Pirckheim.* p. 63. ſeqq. inſertos, breui, at luculenta, præfatione præmiſſa.

(q) ep. dedicat. VI, Op. p. 236.

(r) in dedicatione, qua ipſi *Imperatori* Commentarium ſuum de *Ratione ſcribendæ hiſtoriæ* dedicauit: p. 51.

Magnum *illum* Alexandrum *ac* Cæſarem Iulium *militarem diſciplinam tam egregie litterarum ſtudiis ac te, copulaſſe. Rara hæc felicitas, ac omni æuo vix vni aut alteri conceſſa.*

pag 18. *optimum quemque auctorem mecum circumfero) Eitelwolf. de Lapide* exemplum, vt in ceteris, ita hac etiam in re ſecutus eſt Huttenus. Is enim, numquam ab hoc ſine *libris* viſus: inter equitandum etiam ex doctisſimis *auctoribus* aliquem, vt ſupra cognouimus, ſecum habuit; *alterum armorum* ſuorum *genus* eos appellans.

pag. 20. *a quo tuitionis ſpes dependeat.)* Erat omnino, quod cumprimis ab *Vlrico Wirtemberg. Duce* metueret: qui probe nouerat, *Huttenum* eſſe, qui *acerbiſſimas* in ipſum conſcripſiſſet *Orationes*; & quem *Colonienſes Theologiſtæ* in eum inſtigatum ibant. Magnopere idcirco cauere Huttenum iuſſerat *Pirckheimerus*, ne Dux iſte horum conſilio ipſi quoque *percuſſorem* ſubmitteret (s).

pag.

(s) in epiſtola iſta an. 1517 ſcripta & in *Italiam* ad Huttenum miſſa: quam *Conr. Rittershuſius* Comment. de *vita Pirckheimeri* inſeruit, p. 25.

pag. 23. *in optato quodam vitæ portu collocas)* *Solitariam* certe *vitam Pirckheimero* mirifice arrisisse, & *agricolas*, si bona sua nouerint, *fortunatos* ipsi visos esse, in verbosa ista ad *Bernhardum Adelmann de Adelmansfelden*, eaque elegantissima, epistola aperte declarauit (ſ): qua *secessum suum amœnissimum* descripsit, nec non *vitæ pariter ac studiorum suorum rationem* exposuit.

pag. 27. *in illa depinxi Nauigatione)* illam *Nauigationem* innui ab Hutteno, arbitror, quam in ipso *Dialogo*, siue *Aula* sua, adumbrauit: vbi *Misaulus*, postquam *Aulicum mare omni monstrorum genere, omnibus refertum portentis* finxerat (ſſ), pergit: *ad quod pernauigandum quum me dulces quædam* Sirenes *illexissent, paullo post sentire cœpi, cuiusmodi malis fortuna inuoluissem, quantam mihi ad miserias meus error fenestram aperuisset. ac lugens cum Homerico sapiente dico: ὤω μὲ ὁ δαίμων τέρατι θέλξεν.*

pag. ead. *disertum aliquem ea desiderat fabula)* Exposuit hanc quidem centum annis post diserte admodum ac copiose

N Da-

(ſ) quæ dedicator. ep. IV est, Op. p. 232 seqq.
(ſſ) p. m. 49, 58, seqq.

Daniel Eremita in ſuis *Aulicæ Vitæ ac Ciuilis Libris* (t): vtrum vero rem verbis æquarit, penes prudentiores ſit iudicium. *Atticus Aulæ incolam* initio cap. 2, lib. I, ita compellare fingitur: *Ehem, mi fili, te quoque in Aulam fortuna tua impegit? ſcilicet* Charybdin *illam nauigas, in quam periculoſum ingredi, egredi etiam mortale?* Scyllæ *illi voraci iactandum te dediſti, in qua multi tam horrenda naufragia fecerunt, vt voto fuerit, tantum periiſſe.*

pag. 32. *e vulneribus emiſſum ſanguinem)* præſertim tum, quum *quinque* iſti *Galli*, robore corporum ac animorum ferocitate horribiles, in *Italia* ipſum adorti, *ſiniſtra bucca conſciſſa,* vulnera ei intuliſſent.

pag. 33. *Manca eſt)* Miſit eam deinde *Eob. Heſſo* & *Petreio Aperbaccho*, quum repoſuerat, quæ *Cæſarei Scribæ* exemerant (tt).

pag.

(t) quos celeb. *Greuius* an. 1701 vna cum variis *Eremitæ* Opuſculis *Vltraiecti* edidit in 8.

(tt) id quod ex epiſtola, quam ad eos dedit, & quæ *Eob. Heſſi Ep. famil.* lib. XII, p. 288 exſtat, didici. ad *Iulium Pflugk* ex ipſis Comitiis ſcripſerat: *Mea ad Principes Exhortatio non editur in lucem, quod inſunt* *quæ-*

pag. 35. *vt, quod ederem, non haberem, multo minus, quo vestirer)* saeculi iam anno XI rumorem ad Hutteni amicos perlatum esse, supra audiuimus, *eum in Brunonis vrbe spoliatum tum vixisse.*

pag. ead. *militare) in castris Maximiliani Imp.* id quod ex superioribus obscurum non est.

pag. 36. *a fortuna exspectationem traham)* Lepidum de ipsa hac exspectatione, s. de *Fortuna*, *Dialogum* deinde confecit: cuius infra mentio facienda erit.

pag 43. *annos agentem in Italia prope quatuor)* Satis hisce Hutteni verbis confirmatur id, quod supra collegi, *ter saltem in Italiam ipsum profectum esse.*

pag. 45. *concinnatas in me figuras)* his adnumerandae forsitan sunt *Lamentationes* istae, *non probibitae per sedem Apostolicam:* & binae istae sub *Pepericorni* Iudaei nomine contortae in ipsum sagittae.

pag. ead. *biliosum cuiusdam σχῆμα) Ortwinum Gratium*, quem commemoratarum modo *Lamentationum* auctorem cognouimus, vel *Hochstratum*, *Theologistarum*

quaedam liberiora, quam ferat haec aetas. Nosti, quam in partem soleam παῤῥησιάζειν.

rum Alpha, intellexit, ni coniectura me fallit.

pag. 47. *reliquas tuæ epistolæ partes persequor)* Satis denuo, quæ sequuntur, indicant, *Pirckheimeri epistolam integram nobiscum communicatam non esse:* nihil certe de partibus istius, quas persequitur heic Huttenus, in illa, quam habemus, & quam ego Commentario huic meo supra inserui, occurrit.

pag. ead. STROMERVM) *Henricum Stromerum Aurbachium* intelligi, quilibet per se facile videbit. *Lipsiam* is tum transiit. quo ex *Alberti* Archiep. aula, in qua *Medici* munere vigilanter adhuc atque auspicato functum eum esse, intelleximus, & in qua *bellam* istam *epistolam*, *Aen. Syluii* libello præfixam, texuit, a *Georgio Saxoniæ Duce* deinde arcessitus est; vt & Scholæ tam eximie doctus *Medicus* decus esset, & ciuitatis *Senator* grauissimus (u).

pag. 48. *Legatus Pontificis hians lupus discedit, nihil a Germanis pecuniæ referens)* Is fuit *Thomas Caietanus, Cardinalis.* Quamquam illi, qui Pontificis auctoritati consultum volunt, eum ideo a *Leone X Augustam*

(u) vid. *Erasmi* Ep. DXVII, p. 567.

ſtam miſſum adfirmant, *vt Chriſtianos Principes ad ſocietatem armorum contra Turcos moueret.* multi tamen, qui plus prouiderunt, quorum etiam numero b. *Lutherus* eſt, veriorem miſsionis huius cauſſam exploratam habuere, *vt videlicet decimas ex Lateranenſis Concilii placitis in Germania impetraret*. breuiori præterea via *Lutheri negotium* Legati induſtria componi poſſe, perſuaſum ſibi habuerat Leo. Verum vtraque ſpes hunc eſt fruſtrata (v). Tomo II *Rerum Germanicarum Scriptorum* a *Marq. Frebero* editorum, pag. 393, *Oratio* legitur, *qua diſſuadetur, ne Principes in Decimæ præſtationem quam Legati Leonis X, P. coram Imp. Maximiliano in Principum conuentu ad expeditionem contra Turcos petierant tum, conſentirent.* cuius orationis *Huttenum* noſtrum auctorem putari, ſcribit Freherus.

pag. 49. *præſentiſſima eſt a ligno medicina, quod adhuc dubitamus, quo nomine appellandum ſit) Guaiacum lignum* fuit. de cuius *viribus in morbi Gallici curatione* inſequenti anno ſingularem *Librum* edidit Huttenus,

(v) perſpicue id docet ill. Seckendorf. Comment. de Lutheran. lib. I, S. 16, § XXXIII (3).

Principi ſuo *Alberto* inſcriptum (x). *Nefas*, in dedicatione ſcribit, *eſſe puto*, *hoc committere*, *vt diuinum hoc beneficium*, *hoc cœlo delapſum auxilium*, *iam reſtitutus mihi*, *iamque valens ac vegetus*, *quacunque poſſim ingenii ope*, *ab obliuionis iniuria non vindicem* - - - . *Quid refert*, *ſæpe declamatum a me prius dicere*, *quantam ego pecuniam curando hoc morbo elocauerim? quas torturas*, *quæ ſupplicia ſub Chirurgis exhauſerim? quas cruces tulerim? quantum mihi virium ex medicorum inſcitia deperierit; quum tuo hæc gemitu teſtatus iam ſæpe & apud multos ſis. Non igitur immenſum hoc mihi exiſtimandum eſt*, *potuiſſe reſtitui ex morbo*, *in quo non ſolum dolores paſſus ſum acerbiores*, *quam vt in his viuendum fuerit*, *ſed fœditate etiam tanta fui*, *vt omnium prope rerum ipſum me ægerrime tulerim? Age autem*, *quod fuit vitæ ibi periculum? Quam putabant homines*, *actum de Hutteno!*

pag. ead. *Fucheris*) *Fuggeris* alias, ditisſimis iſtis tum mercatoribus: quorum in

(x) prima editio prodiit, ni fallor, *Colon.* an. 1519, ap. *Io. Scheffer.* acceſſit deinceps Scriptis de *Morbo Gallico* omnibus, quæ tum exſtabant apud omnes Medicos cuiuscunque Nationis. *Venet.* an. 1566, fol. Tom. I, p. 239.

in Dial. *Fortuna* inſcr. ſæpe mentionem fecit Huttenus. vbi initio fere *Fortuna* expoſtulanti cum ipſa *Hutteno* reſpondet: *Fucheris dare primum oportet me; clamant enim annos iam aliquot, ducentis millibus opus eſſe quotannis ſibi ad ea, quæ prius habuerunt, vt totum coemant ab Indis piper, ac id efficiant, ne cui, præterquam ſibi, facultas ſit vendendi in Europa crocum, in ſumma; plurimum vt lucrentur, &* monopolium *vt confirment.* Aucta eſt ſex circiter annis poſt, quam ſcripſit hæc Huttenus, familia *Huldrico Fuggero, Raimundi* fil. qui *Kirchbergæ & Weiſſenborni Dominus,* (in tantum enim faſtigium euecta eſt a fortuna (y) familia)

 in

(y) oppignerauerat *Maximilianus Imp. Vlrico, Georgio & Iacobo Fuggeris VVeiſſenbornenſem* atque *Kirchbergenſem Comitatum,* fiſcali iure ad ſe translatum, pro LXX millibus ad annos X. quum vero amplior ſors deinceps acceſſiſſet: pignora tandem hæc ad *Georgii* filios *Raimundum* & *Antonium* deuoluta ſunt: & iisdem vna cum inſignibus & titulo *Baronum priuilegio*que *cudendi auri & argenti heredit.* XIV Nou. CIↃ IↃ XXX in Comitiis confirmata, Commemorat hæc *Mart. Cruſius Annal. Sueu.* Lib. IX, P. III, cap. XIII, p. 526. Multa alia memoratu digna admodum idem Cruſius in iſtis Annalib. ſuis de *Familiæ* huius ſumma *fortuna* profert: quale eſt cum

in *Pauli III R. P.* cubiculo veritatis lumen agnouit: & qui *Henricum Stephanum typographum* suum constituit; *Heidelbergæ*, quo se, velut in tutissimum portum, receperat, mortuus, postquam *Friderico IV* Elect. Pal. suam magni propter manu scriptos codices pretii *bibliothecam* testamento reliquit. (z).

pag. 50. VLRICHVS C. DE HELFFENSTEIN) qui, vt ostenderet, gloriosam generis nobilitatem non sorte quadam, aut iure hereditario solum sibi obuenisse, sed ab se quoque auctam illustratamque esse, *litteris* eam & *optimis disciplinis* excolere voluit, idque tanto studio, vt inter arduas maxime res, *sæuique pericula Martis, optimis auctoribus diligentem impenderet operam, & cunctos præterea litteris deditos summa prosequeretur beneuolentia* (a).

pag.

cumprimis, quod lib. V, P. III, cap. IX, p. 279 narrat: omnium *primum* Fuggerorum *Ioannem* nomine, e *Gegginga* pago semimilliario ab vrbe Augusta, ciuem in hac an. CIↃ CCC LXX factum, *textoriam artem* exercere cœpisse.

(z) vid. *Abr. Bucholzeri Index Chronol.* ad an. 1584, p. m. 685, add. *Theod. Ianss. ab Almeloveen* de *Vitis Stephanorum* Diss. p. 66.

(a) *Pirckheimer.* dedicat. Ep. XI, p. 243 Op.

pag. ead. IAC. DE BANNISIIS) *Maximiliani Imp. a consiliis ac secretis*, & *Decanus Tridentinus:* qui inter primores pollebat aulicos, plurimum apud Maximilianum auctoritate & gratia valens: siquidem etiam vnus ex illis *Consiliariis* huius fuit, qui in sollemnibus istis comitiis b. *Lutherum*, quum d. XIII Octobr. *Caietanum* adiret, comitati sunt. Is praeterea exstitit, qui Maximilianum ad *caprearum venationem* in saltus auios, praeruptaque montium cacumina pergentem, sequi consueuerat. virum se praestitisse semper is praedicatur (b) tanta rerum prudentia, ea animi probitate, eruditione, vsu, vt *inter omnes excelluerit; qui ad humanitatis studia velut ad suauia ac blanda otia saepissime diuerterit.*

pag. 51. IAC. SPIEGEL, CONR. PEVTINGERVS) summa vtriusque in *Huttenum* merita supra sunt commemorata. Hic in Augustanis istis Comitiis *vnus omnium in Lutheri caussa studiosissimum se praestiterat* (c).

N 5 pag.

(b) eiusd. Op. p. 62.

(c) ipse *Lutherus* id adfirmauit in ep. ad *Georg. Spalatinum*, Tom. I, Ep. p. 83, b. *Peutingeri Vita* legitur in-

pag. ead. GEORGII GROS) idem forſitan eſt, qui magna deinceps cum inſolentia *Anabaptiſticos errores* defendere auſus eſt (d).

pag. 52. IACOBO FVCHS) *Eccleſiar. Bamberg. & Herbipol. Canonico:* is ipſe eſt, ad quem Huttenus longam iſtam epiſtolam ſcripſit, in qua ſummi ſui *Patroni Eitelw. de Lapide laudes* eſt proſecutus: & cuius contubernio in Italia antea vſus erat.

pag. 53. IOANNES FOENISECA) ſcripta huius recenſentur in *Conr. Geſneri* Bibliotheca per *Ioſ. Simlerum* aucta.

pag. 55. *quem Volham Moſci vocant, eum eſſe, qui apud Ptolomæum Rha legitur) in cuius ſuperciliis*, vt *Ammianus* ſcribit (e) *quædam*

inter *M. Adami Vitas Iureconſ.* p. 76. cuius laudes etiam perſequuntur *Præfationes* ipſius *Sermonibus conuiualib.* præfixæ, edit. *Ien.* an. 1684, 8. & *les Eloges des Hommes Sauans tirez de l' Hiſtoire de Mr. de Thou*, T. I pag. 14, edit. an. 1715.

(d) vid. ill. *Seckendorff.* Hiſt. *Lutheran.* lib. III, XLI (f).

(e) lib. XXII, cap. 8. pag. 340, edit. *Gronou.*

dam vegetabilis eiusdem nominis gignitur radix, proficiens ad vsus multiplices medelarum (f).

pag. ead. *non esse Ryphaeos, non Hyperboreos montes)* Recte igitur monuerat olim *Strabo*, per *fabulosa* montes hos excogitatos a quibusdam esse *commenta*, qui (μυθοποιοῦντες) de iis scripserint. & *Is. Vossius* in *Melae* lib. I extremum liquido *negare* potuit, *in Septemtrione tam altos montes esse* (ff).

pag. 57. OECOLAMPADIVS) *Io. Sapidus* omnium primus *Erasmo* commendasse eum videtur, vt *virum moribus ac litteris ornatum maxime* (g). quem singulari Erasmus complexus est beneuolentia, donec religionis caussa amicitiam eorum dissoluit.

pag. ead. *vlcerosis Theologis, ac ad omnem facile contactum offendi solitis)* qui nullius neque precibus neque monitis moveri se passi fuerant, quo minus innocen-

(f) conf. cel. *Cellarii Notit. Orbis Antiqui*, siue *Geographia Antiqua*, lib. III, cap. 24, p. 883.

(ff) vid. id. *Cellarius* ibid. p. 882.

(g) *Sapidi* epistola, qua *Oecolampadium Erasmo* commendauit, legitur in huius Epistolar. Append. n. XXXII, *Oecolampadii Vitam* qui legere cupiet, ap. *M. Adamum* eam reperiet, in *Vit. Theolog.* p. 45.

centissimos optimi *Reuchlini libros* condemnauerint, velut *dignos, qui igni cremarentur.* id dederant nempe *Coloniensibus Theologistis*, a quibus in fraudem deducti fuerant (h).

pag. 58. *tanti constiterit nugari)* ipse nugamentum hoc suum, vt appellare consueuerat, paullo ante in *Italiam* miserat, petens ab amicis, vt *Italorum iudicia* coram de eo explorarent, sibique perscriberent (i).

pag. ead. *En viros Theologos, impactis mutuo genuinis se concerpentes)* de auspicatissimis salutaris *Reformationis primordiis* VII mensibus ante ad *Herm. Nuenarium* sic scripsit: *Iam vero, quod tu ignoras forte,* Wittenbergæ *in Saxonibus altera* aduersus summi Pontificis auctoritatem *insurrexit factio; altera* indulgentias Papales adserit. *Magnis vtrinque conatibus res agitur: magnis viribus certatur.* Monachorum *ductu partes congrediuntur. ipsi duces strenui, vehementes, concitati, alacres, clamant, vociferan-*

(h) probatum id dedit cl. *Maius* in Adnotat. ad *Vitam Reuchlini*, p. 420.

(i) petiit id a Iulio *Pflugk*, in *Italia* tum commorante, in epistola *Nemini* subiecta, p. 47.

rantur, plorant, nonnumquam & fortunam incusant. Nouissime ad scribendum quoque adiecerunt animos. factum librariis negotium, venduntur propositiones, corollaria, conclusiones, & illi multis sæpe exitiosi articuli. Sic spero, fiet, vt mutui interitus caussas sibi inuicem præbeant. Ipse de hoc negotio nuper factus certior a quodam ex fratribus, hoc illi respondi: Consumite, vt consumamini inuicem. *opto enim, vt quam maxime diffideant inimici nostri, & pertinacissime se conterant. Ac faxit Deus Opt. Max. vt intereant & emoriantur, qui* surgentibus *impedimento sunt* litteris. *quo aliquando enascantur* viua pulcherrimarum virtutum, *quæ toties isti conterunt,* plantaria. *Tu tibi consiste; Comes illustrissime, teque confirma. Me quidem in omnes euentus habebis & periculorum & laboris socium.*

pag. ead. *Multa Erasmum monet Eckius)* epistolis blanditiarum adsentationumque plenissimis: qualis est illa (k), qua eum ad *Aur. Augustini* libros versandos compellere studuit; aperte ei his verbis adsentatus: *Non enim te latet, mi Erasme, quam bene de te sentiat omnis Germania, (obticeo summum Pontificem, Itatiam, Gal-*

(k) CCCIII inter Erasmi Ep.

Galliam, & Angliam) quibus laudibus tua efferat studia, ingenii tui excipiat featuras, praeclara exosculetur opera, vt omnes ferme docti prorsus sint Erasmiani, cucullatis paucis demptis, & Theologastris. At, quum *Erasmus* nusquam in scriptis suis *aureis litteris celebrasset* hominem, hic *virulentum* in eum gessit *animum;* qui *filium Erasmi obseruantissimum se fore*, pollicitus fuerat, *si in Lutherum inuehi perrexerit:* ita, vt vera illos narrauisse sibi cognouerit demum Erasmus, qui *vanitatem* hominis, *arrogantiam, leuitatem* ac *temulentiam* explorate ipsi antea commemorauerant (l).

pag. ead. *Oecolampadius, credo, concionatorem aget hic)* egit omnino; verum, quum ob lenitatem disserendi, & animi timiditatem quamdam, minus ad sublimem adeo, qualis tum erat, prouinciam aptus sibi videretur, consilium de discessu paullo post cepit (ll).

pag. 59. *inter Budaeum & Erasmum, omnia prius commisero, comparationem quam moliri ausus fuero)* molitus eam est *Christoph.* *Lon-*

(l) ipse id professus est Ep. MCXLVI.
(ll) vid. *M. Adami* vita *Oecolampadii.*

Longolius (m) in nulla re Budæum Erasmo cessisse, arbitratus (n).

pag. ead. FABRVM) *Iacobum Fabrum Stapulensem, Reuchliniani nominis præconem istum, acerrimum Theologistarum stimulum, immo malleum* (o), cui non Gallia tantum, sed omnis etiam fere Europa vltro debebat plurimum, vtpote quem *veræ Dialecticæ, veræque Philosophiæ, præsertim Aristotelicæ instauratorem* colebat: & cuius doctrinam feliciora passim ingenia saniorumque iudicia consectabantur (p).

pag.

(m) lib. IV, ep. 34.

(n) *Guil. Budæi Vita* conscripta est per *Ludouicum Regium* ad *Guil. Poietum*, Vitis Selectorum aliquot virorum a *Guil. Batesio* deinceps inserta, impr. *Londini* an. 1681, 4, p. 215: clarissimorum ICtorum Vitis quoque adiecta est a *Frid. Iac. Leikhero* collectis, *Lips.* 1686, 8. qui *notas* ei addidit, p. 28. *Erasmi Vitam* complures stilo signarunt. Nouissime fuse admodum ex ipsius scriptis confecta est a cel. *Clerico* in *Gall. Bibliothecæ selectæ* Tom. I, V, VI, VIII & XII; vbi videlicet *Operum* eius *Editio*, quæ *Lugduni in Batauis* an. 1703, seq. X vol. in fol. prodiit, recensetur: cui Editioni quam plurima, quæ ad summi huius Viri vitam pertinent, sunt præfixa.

(o) ita *Iac. Spiegel* eum nominauit in epistola ad ipsum *Reuchlinum* scr. lib. II Ep. Reuchl. ep. 76.

(p) id aperte docet *Th. Mori* epistola ad *Mart. Dor-*

pium

pag. ead. COPVM & RVELLIVM) *Guilielmum Copum, Basiliensem, & Io. Ruellium, Suessionensem*, intelligit: qui scienter ac prospere Medicinam in *Francisci I* Galliarum Regis aula exercuerunt; id simul industria sua meriti, vt hodieque ii habeantur, qui *Medicinam in Gallia vindicarint*. (q)

pag. ead. *vigent studia, florent ingenia)* de *Germania* speciatim alibi eodem tempore confirmauit (r). *Magna est studiosis omnibus cum barbarie lucta, spe ingenti, fore, vt peruincamus, ac litteræ vigeant. Iam enim despectius audiuntur magisterculi, & recta se vbique studia excitant.* Multum etiam spei de horum incrementis ostendit in *Epilogo*, quem *Capnionis Triumpho* subiecit; quem ipsum Epilogum auctorem haud ita occulte prodere, supra præmonui. dignus certe is est, qui integer a me adscribatur. *Theo-*

pium Ep. *Erasm.* Append. ep. DXIII. *Elogium Fabri* scripsit *Scæu. Sammarthanus* lib. I, Elog. n. 1.

(q) vid. *Erasmi* ep. CCVII, p. 187. add. *Melch. Adamus* in Vit. *Medicor.* p. 11. vbi *Gu. Copi Vita* legitur: & citatus modo *Se. Sammarthanus* Elog. l. I, p. 11. vbi *Io. Ruellium* laudat.

(r) in epistola ad *Iulium Pflugk*, *Nemini* subi. p. 47.

Theologistas eo hunc in modum alloquitur: *Laqueum sumite*, Theologistæ. *viginti amplius sumus in infamiam ac perniciem vestram coniurati. debetur hoc Capnionis innocentiæ. debetur vestro sceleri. debetur reip. litterariæ, immo bono hoc quodam fit Christianæ religionis fato, cui vos obscurata luce pudendas inuexistis tenebras, quibus nos expulsis & effugatis, Christianum Diis atque hominibus plaudentibus illustrabimus orbem. Renatus est* Hieronymus. Nouum Testamentum *lucem induit. Multa ex* Hebræo, *multa ex* Græcis *eruuntur. Ardet opus. Interea vos quid agitis, cur quis* Theologos *vos vocet? Nempe hoc, vt agentem hæc Capnionem litteris ac temporum nostrorum gloriæ adimatis. Proinde laqueum sumite. Multorum ore vobis canitur, quorum non idcirco sum ego optimus, quia primus, sed idcirco primus, quia minime patiens moræ. Vos igitur moneo, Coniurati, adeste, incumbite, ruptus carcer est, iacta alea! regredi non licet. Obscuris viris laqueum præbui, nos vicissim herbam sumemus!*

Quum typis exscriptam (s) Episto-
O lam

(s) *in officina excusoria Sigismundi Grimm Medici & Marci VVyrsung. Augustæ Vindelicor. Anno* CIↃ IↃ XVIII, *die Sero VI Nouembris.*

Iam *Augusta Norimbergam* ad *Pirckheimerum* perferendam daret, hasce manu sua exaratas *litteras* adiecit Huttenus (ſ).

Viro per omnia magno
BILIBALDO PIRCKHEYMERO
Patricio Norimbergen.
Amico forti & cognito
ſalutem Huttenus.

Habes, mi Bilibalde, *perpetuum, niſi omnis nos, quam in litteris repoſuimus, ſpes fallat, teſtimonium de te meum aut teſtimonium potius amicitiæ noſtræ, quam rogo ſtudioſiſſime colas. Mitto* Dialogos *L* (ſſ). *item* Orationes *quinquaginta* (ſt); Kobergo (t) *danda exemplaria. Verum* Epiſtolæ *CC mittuntur, non idcirco, quod* Kobergo *omnia tradi velim, ſed quia* Stromer *obnixiſſime flagitat, mitti ſibi. Tu igitur, qui vtrumque amas, mihi vero in re adhuc nulla defuiſti, quia aliter a me*

(ſ) quæ *Pirckheim.* Operib. inſertæ leguntur, p. 319.
(ſſ) *Aula*, opinor, inſcriptos.
(ſt) *Exhortatorias* fortaſſe *ad Principes.*
(t) bibliopolæ *Norimbergenſi.*

me Lipsim, *quo ille vult, mitti non possunt, datis* Kobergo *L aut centum, si vult, reliqua* Lipsim, *quam potes cito perferenda cura, in ædes* Melchioris Lother, *apud quem ea quæret* Stromer. *Ego bene valeo. Breui aut me, aut copiosissimas litteras a me habebis. Interim vale. Accepi* Commentaria Cæsaris *heri* (tt). *Vale heroice.* Augustæ *Martinalibus.*

* * *

Augusta Vindel. Moguntiam, in *Alberti* Principis sui sedem, commigrauit Huttenus, *aulam* porro secutus. Verum huius mox eum fuit pertæsum. ita nihil ipsi cum *purpuratis* conuenerat (u): quorum *fastum, magnifica promissa, sesquipedales salutationes, insidiosa colloquia*, & *inanes fumos* nauseare se, palam profitebatur (v). *Toto anno*, id quod multis mi-

(tt) *Maximiliani Imp. Commentaria* intelligi videntur: vtpote quem ipsum rès ab se per aliquot annos gestas descripsisse, nouimus. quorum impetrandorum percupidum fuisse *Pirckheimerum*, *Rittershusius* Comment. de huius *Vita*, p. 8, declarauit.

(u) *Erasmo* aperte id fassus est in epistola, quæ inter huius Ep. est CCC XCII.

(v) in epistola ad *Conr. Peutinger.*

mirum videri posse, ipse censuit, *iocatus* adhuc fuerat *in aula*. in qua *Dialogum* suum, *Febris* inscriptum, ineunte anno CIↃ IↃ XIX elucubratus est (x): quem *Febris Secunda* paullo post secuta est. In *Prima* illa *Febre colloquentes* sunt *Huttenus* & *Febris*. quum videlicet *Augustae* adflictatus hac aliquamdiu esset Huttenus, & abire ea demum cogeretur, petiisse haec fingitur, vt ne sub hiemem expelleretur, incerta, quo sibi diuertendum esset, sed vt duceretur ad aliquem *voluptarium, diuitem, potentem, cui equi essent, ministri, comites*, & *familia copiosa*, & *vestes*, & *horti*, & *balneae*. *Huttenus* exorari se passus, respondit: *Hospes est hic ipse, ad quem du-*

(x) qui mense *Februario* seorsim primum editus, aliis deinceps Dialogis, vt infra a me indicabitur, accessit. cum *Phalarismo*, cuius infra itidem mentio fiet, vix editum eum excudendum denuo quidam curarunt. factum vero tum est, vt *Febris Louanii* distrahi vetaretur, &, quoniam *Phalarismus* adhaerebat, is vna cum *Febre* exsularet; sed *Louanio* dumtaxat, non longius enim *Scholae* huius *tyrannis* se proferebat. proscribebatur vero *Febris* propterea, quod ἡμιθέȢς *quosdam nominatim attingere* videbatur. Nuntiauit haec Hutteno *Erasmus* epistola, *Louanio* d. 23 April. an. 1519 ad ipsum data, quae inter huius Ep. est CCCCXIII.

duco, sed non caret his, ac vtitur, credo. Atque eccam tibi domum, agit ibi magno cum comitatu Cardinalis S. Sixti (y), *Roma huc profectus, pecuniam a nobis vt petat in bellum contra Turcas, quam insumant Romanenses isti, magno iterum apparatu expeditionem mouentes periti bellatores, obnoxium tibi genus. Age occupa, cubat autem in palla purpurea supinus inter complura circum aulæa, & ex argento cœnat, ac auro bibit, ita delicate, vt neget in Germania esse homines, qui palatum habeant: damnatque perdices heic, & turdos, Italicis absimiles dicens, ac nihil sapore respondentes. nauseat & ferinam & panem insipidum vocat, ac vinum bibens lacrimatur, Italiam clamans, & Cursicum inuocans, obque has in primis caussas barbariem nobis imputat, & ebrios vocat. Nec per quatuor menses adhuc semel appetitui satisfecit ganeæ & saporum inopia.* Postquam multa oblocuta erat *Febris*, minitata, se, nisi in dignum aliquod ab Hutteno deduceretur hospitium, redituram, ac irato

(y) *Cardin. Caietanus* intelligitur: qui ab ipso b. *Luthero* salutabatur: *Reuerendissimus in Christo Pater, & Dominus Thomas, Tituli S. Sixti, Presbyter Cardinalis sanctæ Sedis Apostolicæ, per Germaniam de latere Legatus.*

ei ſex aut ſeptem annos adfuturam fore: hic *Principum* & *diuitum domos*, *Fuggeros*, aliosve *mercatores*, *Fratres Monachos*, *Canonicos*, quorum *mores* acriter perſtringit, Febri indicauit, ad quos diuerteret; ſed fruſtra. Ad *Curtiſanum* denique, qui non ita pridem ab vrbe *Roma*, vbi apud *Cardinalem* quemdam molliter viuere didiciſſe prædicatur, reuerſus, in medias delitias ſe coniecerit, periucunde tum agentem deducta eſt Febris: quem tentaturam, poſt de Hutteno viſuram ſe adfirmabat. In *Febre Secunda*, in qua *Huttenus*, *Febris* & *Hutteni puer colloquentes* introducuntur, & quæ Prima iſta multo verboſior eſt, *Febris Curtiſanum* illum *Romanum* tentaſſe quidem fingitur, qui vero ferre eam recuſarit, quod alios, eosque grauiores admiſerat iam morbos. Quum idem *concubinam* aluiſſe memoretur, in *peruerſam Sacerdotum vitam*, & *perditos concubinarum*, quæ ab iis, velut *pernicioſæ in maximo rerum diſpendio peſtes*, domi fouebantur, *mores* aſpere & acerbe inuehitur Huttenus vna cum Febre. De ipſius *Hutteni cultu victuque* nonnulla ſimul immiſcentur. cui quum Febris blandiretur,

tur, persuasura ei, vt ipsam denuo admitteret, quandoquidem *quartana febris tam validos ac firmos reddere soleret homines, quam prius fuerint numquam*, præter alia spopondit: *Vegetabo hoc tibi corpusculum: gracile primo reddam, vt celer sis, iam quia pinguescis: tu enim opinionem facis hominibus desidiæ cuiusdam, & ignauiæ, deinde serium inducam ori tuo, quo ne leuitatis in te suspicio congruat: certe enim non placet hoc, quod nimium rides tu, & iocaris.* Procul nihilominus Febrem esse quum iussisset Huttenus, extremo ferme dialogo quæsiuit ex ea: *Dic mihi deprauatæ huiuscemodi vitæ quæ est sacerdotibus caussa?* Feb. *Otium est, & huius alumnæ diuitiæ.* Hut. *Quid si consulat sibi Germania ibi, & opes quidem illorum minuat, iubeat vero agros colere, & quod alii faciunt, rem quærere sudoribus, habebitne frugi tum sacerdotes?* Feb. *Pro me tibi respondet* Ouidius:

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.

Et alibi idem poeta irritamenta malorum *vocat* diuitias. Hut. *Dic igitur, futurum vmquam existimas, vt hoc faciant Germani?* Feb. *Quid non existimem?* Hut. *Quam-*

primum vero? Feb. *Paullo post, quum nolent ferre amplius tot sacerdotum millia, otiosum, & inutile magna ex parte vulgus, fruges tantum consumere natum, in aliqua annonæ caritate, quando indignabuntur strenui, quod sibi debetur, ignauos homines & socordes prodigere in luxu etiam.* Hut. *Futurum colligis, vt quemadmodum apes*

Ignauum fucos pecus a præsepibus arcent.

ita desides illos, tamquam reip. non inutiles tantum; sed perniciosos etiam, eiiciant, ac exterminent industrii illi, & necessarii. Feb. *Haud alia ratione.*

Postquam *aula*, in qua, si non vtramque hanc *Febrem*, *Primam* certe, præter alia commemorata supra scripta, elaborauit, *satias* ceperat Huttenum, *militatum* denuo *abire* decreuit: quod consilium suum *Emsino* ita exposuit (z): *Ego expeditioni, quæ nobis paratur ingens, equestri pariter ac pedestri exercitu, interero ipse: tantum abest, vt metuam* latronem *illum. Breui totam turbari Germaniam, videbis. si me devora-*

(z) in epistola, quæ inter ipsius *Emsini* Ep. CCCXCII est.

vorabit illa pugna, (sunt enim & sua illi vires, & auxilia sunt) tunc tu fac, ne ignoret vel studium erga te meum posteritas, & me tuis immortalibus litteris vixisse, saltem testare. Vale. Moguntia, *VI Mart. CIϽ IϽ XIX.* Quod Hutteni consilium quum ex ipsis his litteris intellexisset *Erasmus*, litteras remisit, *d. XXIII Aprilis* eiusdem *anni Louanii* scriptas: quibus, quod ad consilium ipsum attinet, sic respondit (a): *Sed quid ego audio?* Huttenus totus ferreus, *in acie dimicabit? Plane video, te bello natum, qui non* calamo *tantum &* lingua, *sed &* Mavortiis armis *pugnes. Quamquam quid magni, si nunc ausis inter tam multos aduersus vnum pugnare, quum olim Bononiæ* (b) *vnus tam multos profligaris. Laudo fortem animum, sed tamen, si me audies, seruabis Huttenum* Musis. *Nam vnde nobis tale ingenium, si quid accidat, quod auertant superi? Nosti Martem ἀλλοπρόσαλλον, nec satis propitium bonis ingeniis, vtpote deorum omnium stolidissimum. Bene sit, sed tamen, si quid acciderit, ipse tibi tuis scriptis exstruxisti* monimentum ære perennius

(a) ep. CCCCXIII.
(b) *Viterbii* potius, vt supra cognouimus.

nius. *Neque nos tamen defuturi sumus officio nostro. Nam si quid Erasmi scripta valebunt,*
Nulla dies vmquam memori nos eximet aeuo.

Qualis *expeditio* illa fuerit, ad quam ineundam omni tum ferebatur Huttenus cogitatione, coniectu cuilibet procliue erit. Expeditio erat, quam *Sueuici Foederis socii* contra *Vlricum Wirtemberg. Ducem*, quum *Reutlingam* vrbem expugnasset, commemorato CIↃIↃXIX anno, *mense Martio*, susceperant (c). Neque vero obscurum est, cur Huttenus tanta in eumdem *Ducem* exarserit iracundia: quando *Ioannem Huttenum* ab hoc trucidatum esse, supra cognouimus. *Mense Aprili* in *castris* iam versatum esse nostrum, ex litteris, quibus *Lucae de Erenbergk, Canonico*, & ceteris *amicis Moguntiae* relictis, *rerum, quam in ipsis castris offendit, conditionem* exposuit (d), apparet. *Nondum*, scribit

(c) & *Sociorum* & *Vlrici VVirtemb. Ducis litterae*, quibus bellum sibi inuicem indixerunt, inter Acta Publ. Germ. *Frid. Hortlederi* reperiuntur, lib. III, cap. 2. conf. celeb. *B. G. Struue Syntagma Historiae Germanicae*, eiusque Differt. XXXII, §. 50.

(d) Orationib. inuectiuis contra Vlricum W, D. adiectis.

bitiis, *hostem vidi. Nihil tyranno hoc fugacius, nihil imbecillius inuentum est. ita fugit, vt non respiciat; tantum abest, defensionem vt ineat. mirum dictu est, quantis nos itineribus praecesserit. omnia eius occupamus, nullo adhuc negotio. dedunt se ciuitates passim - - - , Proxime quum lustraretur exercitus, censa sunt eorum, qui stipendia faciunt, peditum quidem millia XXVI, equitum IIII millia. nam ingens multitudo non conscriptorum sequitur, quam VI millium esse ferunt. Omnium nihil hebes, aut infirmum, mira alacritas, incredibile robur. Date mihi Turcas, & Asiam iubete his copiis impetere. Praeterea machinae sunt, & opera bellica instructissime. Raptim inter tubas, hinnitus, tympana & strepitum castrensem.* Expeditionis cursum ad *Fridericum Piscatorem* his verbis perscripsit (e): *Heic omnia bene habent, nisi quod non pugnatur. In hoc enim non satis fit eorum voto, qui sanguine & caede calamitatem gestiunt. Fugit tyrannus, maximo, vt suspicari licet, metu. - - - Tyranni liberos* Tubingae (f) *repertos, multi in Bauaros asportan-*

(e) & haec ad *Frid. Piscatorem* epistola iisdem Orationibus subiecta est.

(f) in deditionem acceperant Socii *Tubingam d. XXVIII April.*

tandos suadent, alii alio. ' Magna reperta annonæ vis. tormentorum & quæ ad bellum sunt machinarum, nulli fuit in Germania Principi, aut maior copia, aut instructior apparatus. Ea omnia extrahuntur, ne, si quando redeat ille, furori instrumenta suo inueniat. Quid ais? si redeat: &, vt redeat, fieri potest? Non arbitror. tamen, si redeat, te istic habent studia, nihil aliud agentem. Germaniæ nostræ congratulor, ac ipse gaudeo, incipere animis valere nostros homines. - - - Tanta est hoc in bello securitas, vt lauent etiam homines (ff): *quo minus, quomodo ferre possim militiæ incommoda, mirari debes. - - - Hæc apud* Eslingam, *vbi toto peracto negotio bellico conuentus est hoc tempore confœderatorum, scripsi* (g). In ipsa hac vrbe *Ioannis Hutteni corpus* tum deposuerunt in patriam sepulturam id postea inde deuecturi. Refoderant nempe illud, in vico quodam haud longe a silua, vbi infelix hic purpuratus quadriennio ante occi-

April. quod ex Hutteni epistola *prid. Kal. Mai.* ad *Arn. de Glauberg* scr. liquet.

(ff) in *Thermis Ferinis*, vbi ipse *Herm. Buschii* & *Beati Rhenani* litteras, vt ad eumdem *Piscatorem* scripsit, accepit. *Erasmi* litteræ apud *Canstadium* ei fuerant perlatæ.

(g) XII Kal. Iun. an. M. D. XIX.

occisus fuerat, *Brunsuic. Ducis* beneficio prius sepultum (h). *Rem admirandam, & cuius prope nullius fides capax sit, vidisses tum,* ait noster in epistola ad *Arnoldum de Glauberg, Iureconsf. Francofurd.* (i): *quartum iam annum defossum corpus non consumptum, non putrefactum, totam adhuc faciem cognoscibilem. quin etiam sanguine commaduit attactum. En igitur innocentiæ testimonium* (k)! Non

(h) vtrum is idem *Henricus Brunsu. Dux* fuerit, qui *Vlrici D. nuptiis* interfuisse antea, libr. III, cap. 2. Actor. Public. Germ. *Hortleder,* commemoratur, confirmare non possum. Beneficium, in trucidatum suum cognatum ab eo collatum, Huttenus ita Orat. I contra Vlricum D. F. 2, b, prædicauit: *Porro tu*, Brunsuigiorum Dux Pii *appellationem accipe, omnium consensu, tuo maximo merito. Ostendisti enim illo tempore, qui sis, nec quem in vita, vt boni omnes, amaueras, in morte quoque voluisti deserere, Sustulisti interfecti corpus, & lacrimans sepulturæ mandasti. Hunc quoque* Ludouichum, *qui fratrem exspectabat, monuisti, quo ne & ipse pateretur aliquid, repentino abitu saluti suæ consuleret. Quam tuam bonitatem quis digne vmquam laudauerit? aut qua posteritas merito commendabit præconio?*

(i) Orationib. contra Vlricum W. D. subiuncta.

(k) eandem rem Orat. V contra Vlr. W. D. X. 1, a, sic exposuit: *Annon est hoc admirandum commotæ diuinitatis indicium, quod illud quartum iam annum sub terra*

Non possum de reliquo, quin Hutteni verba, quibus summam *Wirtembergensis terræ amœnitatem agrorumque fertilitatem* adumbrauit, ex illa ad *Frider. Piscatorem* epistola proferam: *Habet hac regione haud facile aliam Germania pulcriorem. Ager optimus, cœlum mire bonum & salubre, montes, prata, valles, flumina, fontes, siluæ, amœnissima omnia, fruges, vt vix alibi, prouentu faciles. Vina, vt in his locis. Ipsam* Studgardiam terræ paradisum *appellant Sueui, ita situ est amœno. Quam fuit indignum pessimo sub latrone tot esse bona! mereturque Principem terra hæc bonum.*

Eo facilius autem Hutteni nostri Musis cum armis ac bellico tumultu, vt ipse confessus est (l), conuenire potuerat; non tantum quod bellum non erat, quod hostis saltem deerat, qui resistebat, verum etiam, quod summo FRANCISCI

terra defossum cadauer, neque putrefieri, neque ita immutari potuit, & non ab omnibus cognoscatur? Agite autem, quæ illa significatio, quod, effracta tumba, sanguine quasi recens confectum maduit?

(l) in sæpius citata hactenus ad *Frid. Piscatorem* epistola.

CISCI DE SICKINGEN fauore in iisdem castris vsus erat; viri longe dignissimi, cuius memoriam omnis posteritas diligentissime veneretur. Hutteni verbis *diuinum Heroem* ego in præsenti laudabo. Is, quum reuerentissime in castris ab hoc tractari se, confirmasset amicis, ita laudes ipsius simul est prosecutus (ll). *Maiorem in Germania humanitatem non inueni hoc in genere. Habet me secum adsidue & ad latus habet. dormit vna; & fabulis dat operam, miscetque colloquia mirifice suauia. litteras vero admiratur, vt nemo, magnus per omnia vir, & dignus, quem maximi omnes faciant. animus in vtramque fortunam munitus, altus, inuictus. sermo grauis de rebus summis; qui arguit cogitationes, nibil humile amplissima omnia ac splendidissima agitantes. conuersatio est iucunda, suauis conuictus. superbe nihil, liberaliter omnia dicit ac facit. ipse apertus. odit fucum, detestatur pompam. Age vero, apud milites quantus fauor, quod desiderium? Pane* do-

(ll) in epistola ad *Arnoldum de Glauberg* sæpe itidem iam citata. Non addidit quidem Huttenus summi huius Equitis gentilitium nomen, *Franciscum* dumtaxat sæculi istius more appellans: nemo tamen, quin is ipse intelligatur ab Hutteno, dubitabit, spero.

dolent alteri exercitus summam permissam (m). *Carum esse iubeo ciuitati tuæ heroem omnis generis virtutibus auctum & ornatum.* Idem hic Heros est, per quem Huttenus optimi *Reuchlini* sui saluti ac fortunis, quum inter arma in summo versarentur discrimine, consultum iuit. Coram conuenerat tum Huttenus præstantissimum virum, sollicitudine pæne confectum; ita enim timuerat hic mala, quæ immerentibus quoque in bello poterant euenire. & tantum quidem abest, vt fortissimus iste belli dux in adiuuando Reuchlino defuerit Hutteno nostro, vt *optimo seni, innocenti & digno, qui securius ageret* (n), ipse obuiam processerit, humaniter eum complectens, ac bene sperare iubens (o). Id

(m) belli summa commissa fuerat *VVilhelmo Bauariæ Duci:* hic saltem, *Apologia* Sociorum nomine contra *Vlricum VV. D.* edita, huic bellum indixit. vid. *Hortlederi* Acta Publ. c. l.

(n) ipse Huttenus *Reuchlino* laudem istam in ep. ad *Fr. Piscatorem* impertiuit.

(o) omnes *Reuchlini* fortunæ cum tota ipsius familia sub *bellicæ prædæ* specie a *VVilhelmo Duce* fisco addictæ sunt; ipseque Reuchlinus perliberaliter *Anglopolin* tum ad *Professoris* munus obeundum est arcessitus. vid. *Vita Reuchlini* a cl. *Maio* conscr. p. 513.

Id quod *Erasmus* valde gauisus est, certa spe iam tum fretus, fore, vt Musæ *Francisci de Sickingen nomen* emori non sinerent. quod si vero hoc ab obliuione vindicaturæ non essent; ingratæ ac turpis plane negligentiæ iure coargui eas posse, censuit. Gratulatus insuper est *Erasmus* Hutteno de eo, quod *& calamo & ense grauiter belligerare* perseuerarit, res suas non minus feliciter, quam fortiter gerens: quem magnam etiam apud *Cardinalem Caietanum* gratiam tum iniisse, audiuerat (p).

Quamuis vero prospera vsus in militia sit Huttenus fortuna; ad *studia* tamen ex castris respexit magno cum desiderio, insomnis quoque nonnumquam exclamans: *O Musa! o litteræ!* (q) Enimuero tenebat tandem virum, tot in vita sua periculis perfunctum, *tranquillitatis*, quam olim iniret, desiderium quoddam. Hoc *Friderico Piscatori* aperuit:

P cui

(p) ep. CCCCXLVII extrema.

(q) professus id est *Chiliano Salensi*, *Iureconsulto Franco*, in epistola Orationib. contra *Vlricum VV. D.* subiuncta.

cui totum ſe patefacit, ſcribens (r): *ad hoc opus* vxore *eſt, quæ me curet. noſti mores: non facile ſolus eſſe poſſum, ne noctu quidem. faceſſant mihi enim prædicare quidam* cœlibatus bona, *&* ſolitudinis commoda. *non videor eſſe capax. me quidem habere oportet, vbi curas; & ipſa vbi acriora etiam ſtudia remittam. quicum ludam, quo iocos conferam, amœniores & leniuſculas fabulas miſceam. vbi ſollicitudinum aciem obtundam; curarum æſtus mitigem. Da mihi* vxorem, *Frideriche, & vt ſcias,* qualem; *da venuſtam, adoleſcentulam, probe educatam, hilarem, verecundam, patientem; ſatis habeat, non multum. diuitias non quæro enim, & ad genus quod pertinet, ſatis nobilem futuram puto, quæcunque Hutteno nupſerit. - - Hinc* (s) Moguntiam *redibo ad* libros, *ad* ſtudia, *quamquam ad* aulam *interim etiam.* O aulas *atque* ollas! *Eo ad me de tuis quoque rebus ſcribe ac vale. XII Kalen. Iunii CIƆ IƆ XIX.*

Moguntiam paullo poſt, quam litteras has dedit, reuerſus, egit cum Principe *Alberto*, vt *ab aula ſeiuncto* ſibi, adnumerato nihilominus ſtipendio, *inter litteras con-*

(r) in epiſtola toties allegata.
(s) ex *caſtris*, quæ tum ad *Eslingam* fuerant.

conquiescere liceret: quod cum magno studiorum suorum fructu tum impetravit (s). Id iam, quæ Alberti in Huttenum benignitas fuerat, antequam bellum hic erat ingressus, impetrasse sibi visus fuerat, vt, vbivbi futurus esset, Princeps stipendio ipsum prosequeretur: vtpote cuius erga Huttenum animum *Erasmus* non confirmauerat modo, sed valde etiam auxerat eo, quod illum laudibus publice idcirco extulerat, quod Huttenum foueret (ss). ad quem ipso isto tempore scripserat *Erasmus* (t): *Iam vero vide, quantum benignitati tuæ & Hutteni nomine debeam; de quo sic mihi præsagit animus, hominem aliquando* magnum ornamentum nostræ Germaniæ *futurum; si modo & Dei præsidio vita suppetat, & tuæ celsitudinis fauore non destituatur; nam hanc* ingenii lasciviam, *(vt ita loquar) satis per se corriget ætatis accessio.* Quod ad ipsum Huttenum

 atti-

(s) didici id ex epistola, quam Huttenus ad *Eob. Hessum* & *Petreium Aperbacchum* scripsit, lib. XII Ep. familiar. *Eob. Hessi*, p. 288.

(ss) vid. Hutteni ep. ad *Erasmum*, inter huius Ep. CCCXCII.

(t) Ep. CCCCLVI.

attinet; hic poſt ſuum in vrbem *Moguntiam* reditum id negotii datum ſibi exiſtimauerat, per litteras vt amicos inſtigaret, vt pro *communi Germaniæ libertate* adſerenda aliquid auderent. *Eob. Heſſum* his verbis accenſum iuit (tt): *Tu* Heſſe, *quum in* Epiſtola Italiæ reſponſoria (u), *libertatem quamdam vehementem auſpicatus ſis, nunc abſiſtis, aliquo, opinor, contumelioſo* Curtiſano *deterrente? Ah ne metue! Plures erunt ſimilis argumenti ſcriptores, quam tu putas. Neque illud ſine gloria facinus audebimus. Ego quos poſſim ad partes traducere ex illis, qui multa ipſi poſſunt, ſed hactenus non intellexerunt negotium, ac libenter nunc per me erudiuntur, aliquando ſcietis. Petreium Aperbacchum* eadem epiſtola ita allocutus eſt: *Tu* Aperbacche, *quum &* Romæ *fueris, fraudesque ibi impoſtorum didiceris, & natura ſis ad irridendum, & facete obiurgandum valde accommodatus, non aliquando ſpecimen tui dabis? & Germaniam ſines ſtudiorum tuorum fructu care-*

(tt) in epiſtola ad ipſum *Eob. Heſſum* modo citata.

(u) quæ in Operib. Poet. *Hutteni*, huius *Epiſtolæ*, quam *Italia ad Maximilianum Cæſarem* ſcripſiſſe ſimulatur, adiuncta eſt.

carere? Ne in perpetuum obmutesce, precor, sed aliquando erumpe.

Vt primum igitur a bello discesserat Huttenus, *quintam* suam in *Vlricum Wirtemb. D. Orationem*, qua *de Victoria* sibi suisque *congratulabatur*, prioribus *quatuor* addidit. has in castris etiamnum versans retractarat, editurus, vbi quintam istam addidisset: fuerant enim, qui in manibus habere eas voluerunt. Quod consilium perfecit quarto mense post, quam belli sibi finem fecerat. tum enim non modo *V istas inuectiuas contra Vlricum D. Orationes*, sed etiam *reliqua scripta*, quibus *gentilis sui cædem* persecutus est, emisit. Quid, eamdem hanc cædem vlturus, pro interfecti innocentia conscripserit prius Huttenus noster, quam postremum in Italiam abierit, ad ipsum annum, quo cædes facta est, ostendi (v). *Phalarismum* interea *Dialogum*, qui eodem pertinet, foras dederat (x). An præterea quicquam in caussa hac, patrocinio haud indigna, siue epistolarum siue carminum, coniunctim deinde editorum, separatim antea prodierit, equi-

 dem

(v) ipsius huius Commentarii pag. 90 seqq.
(x) seorsim, an. 1517, *mense Martio.*

dem ignoro. Quod ad Phalarismum attinet, colloquentes inter se inducuntur *Charon*, *Mercurius*, *Tyrannus* & *Phalaris*. ex quibus solis nominibus illi, qui ipsum Dialogum numquam legerint, argumentum eius per se coniicere poterunt. Per *Tyrannum Vlricum Ducem* intelligit; qui quum ad *Acheronta* penetrasset, *Phalaris Agrigentinorum* quondam *tyrannus* (y) ita ab eo appellatus ibi fingitur: *Ad te ideirco descendi, vt in tanta copia quid fieri suadeas, discam. mire oblectabo me enim, si tu recte praemonueris.* Pha: *Nihil adhuc a Phalaride degenerans: proinde eorum, quae noui, nihil te celabo* (z). Quum Phalarismus hic a *Petro de Auffas*, *Canonico* (a), male discerptus

(y) vitam *tyranni* praefixam inuenies, Lector, eius *Epistolis Gr. Lat.* a *Car. Boyle Oxon.* ex *Theat. Scheld.* an. 1695, 8, editis.

(z) inusitata ac noua *Suppliciorum*, quibus reos adficiendos curauit *Vlricus*, *genera* commemorantur in *Narrat. Germ.* quam Ordines Prouinciae Wirtemberg. ad Socios an. 1520 miserunt; in *Hortlederi* Act. Publ. Lib. III, cap. 3. *caedis* tamen *Ioannis Hutteni*, quantum memini, mentio in Narratione ista non iniicitur: id quod mirum mihi videtur.

(a) *Canonicorum* istius aetatis *mores* Huttenus luculento in epistola ad *Michael de Sensheim Canonicum* Her-

ptus esset, *Apologiam* pro eo conscripsit, Huttenus, ipsi Phalarismo in volumine adiunctam. Ferre videlicet non potuisse visus erat Canonicus, quod Huttenus *veterem dialogos scribendi morem* reuocans, & ad antiquorum imitationem se conferens, de *Charonte*, de *Mercurio* aliquid finxerat: siue quod Huttenus Vlrici Ducis facinus memoriæ ingenii sui monimentis prodendum decreuerat. V Orationum, quæ Phalarismo eiusque Apologiæ proxime in volumine præcedunt, *IV omnium* & *longissima* & *acerbissima* est. in qua confessus quidem est, *omnibus nouum* videri posse, *quod Eques Germanus ex Principum ordine reum in iudicium*

 pro-

Herbipol. Orat. inuect. præm. his verbis descripsit: *neglectis his, quibus addicti sunt, alendis equis ac canibus, omnem operam impendunt, plurisque faciunt bene saginatam* caniculam *vnam, aut adsuetum sinistra* accipitrem, *quam omnem omnium sacrorum suorum rationem. Male per fidem! non vtiliter expendunt enim demandatum sibi talentum. Nihil praterea magis isti contemnunt, quam* litteras, *& cum litteris* litteratos *ipsos. atque in his persequendis quosdam plane tyrannos agunt. suas venationes, suas libidines, suas pergracationes, suos ventres numinum loco* *vene-*

protrahere ausus sit, indignum tamen nemini videri posse, existimauit; ita in eadem oratione *Vlricum D.* compellans: *Quoniam desperata caussa in armis præsidium locasti, arma experieris non te digna, sed nostræ necessitati debita, vt in omne æuum testatum esse possit, quam nos dolenter istam tulerimus iniuriam, & quam non defuerimus nobis ac communi Germaniæ caussæ.* In *Oratione V*, quæ, *ad confœderatos Sueviæ & victorem Exercitum, deuicto iam & eiecto tyranno, declamata*, inscribitur: *sententia*, quam *Maximilianus Imp.* in *Augustanis Comitiis* publice de *funesta* hac *caussa* tulit, dilucide exponitur: *Tum satisfactum nobis fuerat, quum in illo totius Germaniæ concilio, in illo clarissimorum Principum consessu, orbis terræ Impera-*

venerentur. quidam & pecuniam colunt, eique vni operam dant. quorum vnus Moguntiæ nuper ausus est serio dicere, nihil esse homines sine pecunia, eum autem, qui pecuniosus sit, facile omnia, quæ ad animorum ac corporum emolumenta sunt necessaria, habiturum. *O exsecrandam hominis vocem! o crudelem orationem! Esse quemquam adeo auaritia excæcatum, vt vilissimæ rei omnes humanas actiones, ipsa quoque officia & virtutes posthabeat; quique putet, auro sanctissima vitæ munia comparari, velut populares istos vulgo fauores, clientelas, & adulatorum comitatus.*

perator Maximilianus, *eam publice sententiam tulit, qua ille ita sauciatus, ita perfossus est, vt magis frangi, magis interimi non posset, tunc, inquam, satis superque vltionem contumeliæ nostræ prosecutam, de illo pœnam sumptam putauimus, quando ei publico iudicio aqua, igni, atque hominum consortio interdictum est; ipse proscriptus, omnium iniuriæ obiectus est, vniuscuiusque potestati proditus, illa expressa pœnæ caussa, & tota pro tribunali præconis voce recitata Huttenicæ calamitatis historia.* Ex paucis hisce Hutteni nostri Orationum particulis, iudicatu procliue futurum tibi spero, Lector, non *ornati* solum ac *grauis*, verum *vehementis* quoque *Oratoris* laudem ei deberi. quid? quod idem laudis vindicari sibi potuit Huttenus, quod Cicero *T. Postumio* olim impertiuit: quem *non minus vehementem oratorem, quam bellatorem fuisse*, prædicauit (b). quamvis

(b) in *Bruto* s. de *Claris oratorib* c. 77. auctor Comment. Litter. Gall. (*Memoires de Litterature*) T. I, P. 2, p. 402, Huttenum *non minus vehementem* in his suis inuectiuis præstitisse se, censuit, *quam* ipse *Cicero* in orationibus *contra Catilinam.* Retulit etiam Huttenum inter *præstantissimos ætatis suæ Oratores Mich. Neander*, in eximia illa præfat. *Erotem. Græc. Ling.* præm. p. 237, seq.

itinerando composuerim: reliqua in siluis & illa nostra arce, nullis plane studiis obnoxia. Phalarismum, & pro ipso confectam contra *Petrum de Auffas* Apologiam in volumine sequitur ad *Christianissimum Francorum Regem Franciscum Epistola* (e), qua Huttenus ipsum obtestatus est, ne fracto *Vlrico* Duci opem vlla referret: ordine istam toties citatæ hactenus a me epistolæ excipiunt: ad *Lucam de Erenbergk, Canonicum, & amicos Moguntiæ:* ad *Arnoldum de Glauberg Iureconsl. Francofurdianum:* ad *Chilianum Salensem Iureconsultum:* ad *Fridericum Piscatorem* (f). Tan-

quum in Italia versaretur: quem errorem idem auctor *Commentar. Litter.* c. l. notauit p. 412. Reliquas IV orationes *vagus* itidem & *peregrinans* confecisse omnino videtur Huttenus.

(e) *ex Rotenburgo ad Duberam* II Kal. Mart.

(f) in fronte voluminis, quod in 4 prodiit, scriptum est: *Ad Lectorem: Res est noua, res est atrox, & horrenda, dispeream, nisi legisse voles. Vale.* Elegantissimo præterea carmine allocutus Huttenus est in principio *Lectorem:* ex quo hi versus sunt excerpti:

Tum cui sunt aures teneræ, ne te obiice, Lector,
Esca quod ad stomachum non facit ista tuum.
Durum agitamus opus, durus sermo, omnia dura,
Quid ni? quem petimus, durus & ille fuit.

At

Tantum quod ex castris *Moguntiam* redierat Huttenus, cudere præterea cœpit *Dialogum*, cui titulus *Trias Romana*, siue *Vadiscus*, quo ipse nihil vehementius, liberius nihil, vsque ad illud tempus *in Romanos aurisugas* editum existimauerat (ff); in propugnaculo *Steckelbergk* insequenti

At, qui scripta leges paruo contorta libello,
Innocui vocem sanguinis esse, puta.

Nec vero in fine *Lectorem* non appellauit Huttenus carmine; cuius primos ac postremos versus quin adscribam, temperare mihi non queo; tam elegantes mihi videntur.

Non odisse librum, potes hunc odisse tyrannum,
Qui legis e vulgo si mihi, lector, eris.
Digna odii caussa est, hoc qui facit, ista meretur,
Non qui de admisso crimine texit opus.

* *

Viue diu crudele nefas, viue impia cædes,
Et tu qui facis hoc, viue tyranne diu.
Postera te diris exsecret vocibus ætas,
Et tua non vllus nesciat acta nepos.
Vos autem, innocuus cinis, insontesque valete
Perpetuo manes, vmbraque sancta viri.
Sinceriter pro caussa:

Hoc Vlrichi de Hutten Equit Germ. Inuectiuarum cum aliis quibusdam in Tyrannum VVirtenpergensem opus excusum in Arce Steckelbergk. Anno M D XIX. Mense VIIbri.

(ff) in epistola ad *Eob. Hessum* supra alleg.

quenti anno perfectum (g), & cum *quatuor* aliis *Dialogis* coniunctim paullo post editum: *Fortuna*, puta, ac illo, qui *Inspicientes* inscribitur; quibus *vtraque Febris* addita est (h). De tribus istis prioribus alio tempore, adiuuante Deo, agere animus est. Stat enim Huttenum in *specula* ista sua, quo ab aula aliquantisper secesserat, relinquere.

Quod

(g) *Sebastiano de Rotenhan*, *Eq. aurato*, *adfini* dedicatum, *Idibus Februariis*.

(h) *Moguntiæ* ex officina libraria *Ioannis Schœffer mense Aprili* an. 1520 ed. *Fortuna* primum locum inter V Dialogos istos obtinet, *Chunrado Episcopo VVirciburgensi & Francorum Duci* præfatione, *Kalen. Ian.* anno 1520 scripta, nuncupata. *Fortunam* vtraque *Febris* excipit, has *Trias Romana*, & hanc *Inspicientes* denique sequuntur. Posteriores *IV Dialogi* in patrium sermonem conuersi, ita inscripti, nescio quo tempore, hoc enim additum non est, prodierunt in 4. *Gesprăch Büchlin Herr Vlrich* von *Hutten: Feber das Erst. Feber das ander. VVadiscus: oder die Römische Dreyfaltigkeit. Die Anschawende.* quum ipsorum horum dialogorum, *primus* ita insignitus lucem adspexisset, tempore itidem, quo typis sit exscriptus, prætermisso: *Dialogus, oder ein Gesprech*, *Febris genant. durch den Ernvesten und Hochberümpten Vlrich* von *Hutten in Latin beschriben, yetzo durch gut Gönner zu teütsch gemacht* in 4.

Quod si leuem hunc meum in tam strenui, tam fortis atque imperterriti, tam litterati Equitis Merita ac Fata describenda collatum laborem historiæ studiosis non ingratum plane esse, sensero, faciam, vt id, quod scribendum de iis restat, quam primum prodeat. Equidem *IV* dumtaxat, qui Herois nostri vitæ spatio accesserunt, *anni* commentandi mihi supersunt. at tot *scriptis* per vltimum hoc suum quadriennium pro *doctrinæ præstantia, patriæ libertate, religionis veritate*, is propugnauit, tot eo nomine subiit pericula, in tot existimationis suæ vitæque vltro se obtulit discrimina, in tanto apud familiarissimos antea fuit denique eam ob rem odio fortissimus Vir, vt iustum volumen conficere posset, qui digne omnia exponere aggressurus esset; quod quidem ego mihi non sumam. Reliquum, idque *aduersum* ac *formidolosum* satis, quod Hutteno nostro obtigit, *vitæ tempus*, summatim, tali, qualis hic est, libello expositurum me, volente Deo, spondeo; nihil præterea. Ipsius tum *Hutteni Lucubrationem* quamdam iterum præfigam; vt, si qui fuerint, qui

qui meam operam tanti non æstimauerint, vt pecunia istam comparaturi sibi sint, Hutteniani ingenii monimentum ipsis suppeditet, quo bibliothecam suam, si voluerint, augere possint. Patefietum, districtam illam in omnes veritatis testes, *sicam*, quæ vt ex crudelium Lutheranæ hæresis, vti appellabant, *inquisitorum* manibus extorqueretur, nullum non periculum adire ausus est Huttenus, sæpius huic esse intentatam; & hanc ipsam sicam fuisse, quæ nostrum non modo de spe, quam de mirifica *Alberti* Principis liberalitate conceperat, mox deturbarit, sed quæ eum in exilium etiam eiecerit. *Erasmum* porro atque *Huttenum* grauissimos testes in altera ista mei de Vita huius Commentarii parte producam, nihil tam fragile, tam flexibile esse, hominum voluntate, sensu atque iudicio: bellas, ostendam, ad tempus in amicis simulationes esse, magnas in periculis fugas intimorum, magnas timiditates. Erasmum illi Hutteno, cuius ingenio per complures annos vnice delectatum eum esse, hactenus audiuimus, postremo aditum petenti con.

conueniendi non dedisse, cognoscemus. quid quæris? acriter in eum, velut *gloriosum, egentem omnibusque rebus destitutum militem*, inuectus est, caussatus, *Lutheranam tempestatem festiuum Hutteni ingenium & sibi & Musis eripuisse* (i). *Iesu filii Sirachi* ætas Hutteni similes habuisse iam videtur, qui saltem eodem vsi sint fortuna. *bellatores* certe ætas ista iam vidit, *qui vitam suam in egestate degere necesse habuerunt*: quamuis id vsu euenisse, acerbe maxime tulerit Sirachi filius. Verum

Quemcunque fortem videris, miserum neges.

Huc ipsius Hutteni *Epigramma* spectat, quod *Imagini* suæ adiecit (k):

Desine fortunam miseris inimicaque fata
Obiicere, & casus velle putare Deos.
Iactantur pius Aeneas, *iactatur* Vlysses
Per mare, per terras; hic bonus, *ille* pius.
Crede mihi, non sunt meritis sua præmia, casu
Voluimur. haud malus est, cui mala proueniunt.
Sis miser, & nulli miserabilis, omnia quisquis,
A Diis pro merito cuique venire, putas.

(i) ep. D LXV. DCCIII. & alibi.
(k) Orationibus in Vlricum W. D. subiectæ: qualem ego huic ipsi libello præfigendam curaui.

EX-

EXQVISITISSIMORVM HVTTENIANI INGENII MONIMENTORVM

QVAE VSQVE AD ANNVM CIↃ IↃ XX EDIDIT

A V C T O R,

ET

QVAE IN COMMENTARIO HOC COMMEMORANTVR,

E L E N C H V S.

Vere omnino *Mich. Neandrum*, eruditissimum virum, pronuntiasse, vbi scripserit (*): *clarorum auctorum Epistolæ historiam temporum suorum, ac virorum doctorum & magnorum, qui quolibet tempore vixerunt, historiam continent, vt, qui vnoquolibet tempore viri boni, docti ac præstantes vixerint, vix aliunde melius possis cognoscere*; manifesto ego in hoc de *Vlr. de Hutten Fatis ac Meritis* Commentario conficiendo deprehendi experimento. Quibus *Hutteni*, præter illas, quas singulis memoratis modo ingenii sui is addidit monimentis, *clarissimorum*que *Virorum ad ipsum* scriptis

 Epi-

(*) in præfatione *Erotemat. Gr. L.* præm. pag. 244.

Epistolis vſus ſim; indicare heic conſtitui: quamlibet eæ in ſubiectis Commentario notis quam ſæpiſſime a me ſunt citatæ. Idcirco nominatim diſtincteque eæ a me indicatæ ſunt, beneuole Lector, quo facilius, ſi quæ fuerint, quæ notitiam meam fugerint, adnotare eas poſſes. quales, ſiue editas, ſiue manu ſcriptas, ſi cognitas habueris; illas mihi prodas. has benigne mecum communices, eſt, quod vehementer etiam atque etiam rogo. me id in ſingularis beneficii loco numeraturum eſſe, confirmo. Beneficium eiusmodi acceptum iam cumprimis refero excellentisſimo GODEFRIDO THOMASIO, Viro ſubleuandis melioribus litteris, harumque cultoribus demerendis nato. qui pro ſumma ſua humanitate in altera etiam Commentarii huius Parte conficienda non deerit mihi, ſpero. Vt & tu, amice Lector, ſi quid habueris, quod inſtituto meo non alienum exiſtimaueris, hoc adiuues, iterum iterumque obteſtor. Ita ſane Huttenus de omni poſteritate promeritus eſt, vt quam dignisſimus ſit, cuius

me-

memoria ab obliuione communi ſtudio curaque vindicetur: vt, quicquid ætas ipſius in Hutteno amauit, quicquid ſuſpexit, maneat in animis poſterorum, in æternitate temporum, fama rerum. Quod ſi *integræ* etiam *Hutteni Lucubrationes, ante CIƆ IƆ XX ab ipſo editæ*, notæ tibi fuerint, quas prætermiſſas a me obſeruaris, fac quæſo, vt hæ quoque mihi innoteſcant.

VLRICHI DE HVTTEN
ET
CLARISSIMORVM VIRORVM
AB AN. CIƆ IƆ XI VSQVE AD AN. CIƆ IƆ XX
AD IPSVM SCRIPTARVM,
QVAS QVAERENDO INVESTIGARE ADHVC POTVI,
EPISTOLARVM
ENVMERATIO.

Croti Rubiani ad *Vlr. Huttenum* epiſtola 3 Non. Febr. an. 1511 ſcr.

Vlrichi Hutteni ad *Phacbum* ep. *Bonon.* 12 Kal. Sept. (anno ni fallor 1512.)

vtraque epiſtola inſerta eſt *Monimentis Pietatis & Litterariis Viror. illuſtrium Francof.* 1701, 4. P. II, pag. 3. 9.

Vlr. Hutteni ad *Erasmum*, *Wormat.* d. 24 Oct. an. 1516.

in Epistolar. *Erasmi* Append. LXXXVI Editionis eximiae, *quae Lugduni in Batauis* an. 1706 prodiit.

Vlr. Hutteni ad *Io. Reuchlinum*, *Bonon.* Idib. Ian. an. 1517.

Io. Reuchlini & Insignium Viror. ad ipsum Epistolar. lib. II, ep. LII.

Vlr. Hutteni ad *Bilib. Pirckheimerum*, *Bonon.* 3 Kal. Iun. an. 1517 (vt coniicio).

Op. *Pirckheimer.* pag. 264.

Bilib. Pirckheimeri ad *Vlr. Huttenum* d. 26 Iun. an. 1517. *Bononiam.*

de *Vita Pirckheimeri* Comment. p. 24.

Vlr. Hutteni ad *Erasmum*, *Bamberg.* d. 21 Iul. an. 1517.

inter *Erasmi* Ep. CLIII Append.

Bilib. Pirckheimeri ad *Vlr. Huttenum* an. 1518.

Op. *Pirckheimer.* pag. 251, & pag. 405.

Vlr. Hutteni ad *Erasmum*, *Mogunt.* d. 6 Mart. an. 1519.

Erasmi Ep. CCCXCII.

Erasmi ad *Vlr. Huttenum*, *Louan.* d. 23 Apr. an. 1519.

Erasmi Ep. CCCCXIII.

Erasmi ad *Vlr. Huttenum*, *Antw.* d. 23 Iul. an. 1519.

Erasmi Ep. CCCCXLVII. *Thomae Mori* Elogium continet.

Vlr.

'INDEX RERVM.

Vlr. Hutteni ad *Eob. Hessum* & *Petreium Aperbacchum*, *Mogunt.* 3 Non. Aug. an. 1519.
Eob. Hessi Epist. famil. lib. XII, p. 288.

RERVM MEMORABILIVM,
QVAE IN IPSA HVTTENI EPISTOLA ET IN COMMENTARIO OCCVRRVNT,
INDEX.

Q 4 *Budæus*

M.

N.

O.

Pe-

P.

R.

Vlricus

* *

Operarum, & si qui alii Lectoris attentioni sese obtulerint, errores, eum hos condonaturum sibi sperat editor: qui inter illos *leuiora* hæc *errata* relata vult; quæ beneuolus Lector facile emendabit. pag. 20, vers. 12, leg. *est*. p. 67, v. 16, l. *summi*. p. 80, v. 7, l. *adferet*. p. 84, n. (e) l. *1512*. p. 113, n. (x) v. 6 in *anni* itidem designatione commissum erratum tollet Lector. p. 130, v. 6, l. *Sagina*. p. 240, v. 18, l. *iactatur*.

FINIS.